



1. Michaelis / Joh. Georg / diff. de viro stante inter Myrtos, Halle 1739.

2. Moller / Christoph Gottl. / diff. de genuina vocum xarakter et ypostasi notione, Lipsie 1738.

3. Morheim / Joh. Laur. / diff. de jesu christo vindice dogmatis de mortuorum ad vitam reditu, Helmst. 1740.

4. Müller / Gottfr. Ern / diff. de papolatrici, Lipsie 1726.

Müller / phil. / diff. de jure Dei in Homines, jena ~~1667~~ 1701.

diff. de regno Israelis restaurand., do, jena 1704.

crocodilus lachrimans, jena 1733.

diff. de Jesu Christo deandropo, jena 1704.

Mundini / Cusp. Gottfr. / diff. de gloria mundi, jena 1661.

10. Musciv. Joh. / diff. p[ro] memoria Jesu Christi
ejusq[ue] crucifixi, Jene 1681.
11. ———— diff. an conjugium primeva ejus
constitutione salva, inter plures quam
duos esse possit. Jene 1737.
12. X. / A. / Epistola de peccato in Spiritum S.
et descensu Christi ad inferos, Probaci 1732.
13. Nagely / Joh. Andr. Mich. / diff. de Lingua
adscita Hominum Orbis Saba[ry]lonii. Altorfi
1740.
14. Neumann / Joh. Georgij / diff. de bona inten-
tione, plerorumq[ue] omnium Sectatorum Hylō.
Wittemb. 1706.
15. ———— diff. de palma ab Angelicis non
intervertenda, Wittemb. 1692.
16. ———— diff. de apodeusei fanaticorum,
Wittemb. 1706.
17. ———— diff. de Missionarijs pontificiorum
Wittemb. 1702.
18. ———— diff. de unctio[n]e omnia docente
Wittemb. 1699.
19. ———— diff. de poenitentia solenni, Wittemb.
1706.
20. ———— Synopsi errorum fanaticorum
quor[um] tremuli moderni sunt, Wittemb. 1723.
21. ———— diff. de peccato sub spe venie
commisso Wittemb. 1702.
22. ———— diff. de Mensura peccatorum impletis
Wittemb. 1720.
23. ———— diff. de Praeco ante victorian[um] titu
1700.

24. Neunkertz f. Joh. Gottfr. / Observations
philologicæ in Malact. II. v. 15-16.
Lipsiæ 1727.
25. Nieder f. Joh. Val. Lud. / quæstiones
de ægelographiâ. Gisse 1738.
26. Niehenc f. G. Frid. / diff. exhibens
quæstiones nonnullas de articulo de
Magistratu politico, Rostochi 1706.
27. Nimpfisch f. Joh. Christ. / diff. de Ammonitis
a Davide absp. crudelitate sub jugum
missi. Lipsiæ 1731.
28. Obbarij f. Christoph. Lud. / diff. de tempera
mente Johannis Herbst. Cholericæ,
1738.
29. Olearij f. G. phil. / diff. de reverentia
doverfus Deum, se ipsum, et alios.
Lipsiæ 1730.
30. Olearij f. Gottfr. / diff. de probatione
spirituum, Lipsiæ 1711.

m. 2
DISSERTATIO PHILOLOGICA
DE
GENVINA VOCVM
ΧΑΡΑΚΤΗΡ ET ΥΠΟΣΤΑΣΙΣ
NOTIONE
AD ILLUSTRANDVM LOCVM
EBR. I. v. 3.

QVAM
INCLVTI PHILOSOPHORVM ORDINIS
AVCTORITATE ET PERMISSV
D. IV. NONARVM APRILIS A. R. S. MDCCXXXVIII.
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVBMITTET
M. CHRISTOPHORVS GOTTHELF
MOLLERVS
FREIBERGENSIS
RESPONDENTE
IOANNE GOTTLÖB BURGERO
NAÜNDORFF. MISN.
S. S. THEOL. STUDIOSO

LIPSIÆ
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
GENIVIA VOCVM
CHARACTERE ET THEORATIA
N. O. T. I. O. N. E
AD ILLUSTRANDVM LOCVM
P. R. A. E. S. I. D. I.

INCLVTI PHILOSOPHORVM ORDINIS
AVCTORITATE ET PERMISSV
D. I. V. N. O. N. A. L. I. V. M. A. R. C. H. E. P. I. S. C. O. P. I. T. I. S. S. I. M. I. L. I. T. I. A. E.
P. A. C. I. D. A. E. R. U. D. I. T. O. R. U. M. D. I. S. T. I. C. T. I. O. N. I.
M. C. H. R. I. S. T. O. P. H. O. R. V. S. G. O. T. T. H. E. I. D. E.
M. O. L. L. E. R. V. S.
I. O. H. A. N. N. E. G. O. T. T. O. B. B. U. R. G. E. R. O.
S. A. T. H. E. O. L. O. G. I. C. A. S. T. R. A. T. E. G. I. A.

IN P. R. A. E. S. I. D. I. I.
P. R. A. E. S. I. D. I. I.



V I R O

SVMME REVERENDO, MAGNIFICO
ATQVE EXCELLENTISSIMO,

DOMINO

CHRISTIANO FRIDERICO
WILISCHIO

DOCTORI THEOLOGO CELEBERRIMO,
PASTORI FREIBERGENSIVM PRIMARIO,
RERVM SACRARVM TAM IPSIVS VRBIS, QVAM
CIRCVMJACENTIS AGRI, ANTISTITI GRA-
VISSIMO, ATQVE SCHOLARCHAE
MERITISSIMO.

PATRI, ATQVE PATRONO SVO,
AETERNVM DEVENERANDO.

NEC NON

V I R O
V I R I S
PRAENOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
CONSULTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,
INCLVTAE
REIPUBLICAE FREIBERGENSIS
CONSVLIBVS,
PRAETORIBVS,
ATQVE
RELIQVIS ORDINIS SENATORII
PATRIBVS CONSCRIPTIS.
DOMINIS, ATQVE PATRONIS
DEVOTE SEMPER COLENDIS.

NOB DEB

VIRI,
SVMME REVERENDE ET MAGNIFICE,
PRAENOBILISSIMI, AMPLISSIMI,
CONSVLTISSIMI, PRVDENTISSIMI,
PATRES, ATQVE PATRONI
OMNI PIETATIS CVLTV, AETERNVM
PROSEQVENDI

Quibus potius, quam VOBIS,
PATRES, atque PA-
TRONI EXCEL-
LENTISSIMI, stu-
diorum meorum rationem
reddendam esse, existima-
tis? VOS estis, quorum auspiciis musarum
castra in schola VESTRA olim ingressus
sum, VOS estis, quorum indulgentia tirocinia
ibidem ponere, mihi licuit. VOS estis, quo-
rum

rum auctoritate atque consiliis, ad altiora
progredi, non dubitavi, VOS etiam estis, quo-
rum munificentia in academia mirifice adiu-
tus sum, et quorum favore conatus mei ad
maturitatem aliquam sunt adducti. Iam
reditum, nec VOBIS inuitis, ad VE-
STRVM Patrocinium meditor: at in con-
spectum VESTRVM, mihi sanctissimum,
prodire omnino dubito, rationem nisi VO-
BIS, PATRONI EXCELLENTIS-
SIMI, exhibuerim, ex qua VOS VE-
STRA certe non apud plane indignum be-
neficia collocasse, constare possit. Iam ideo
VOBIS, PATRONI EXCELLEN-
TISSIMI, hanc qualemcunque Disserta-
tionem demisse offerre, audeo. Quam parum
autem leuissimum hoc opusculum, VESTRAM
exaequare possit insignem beneficentiam, vi-
deo omnino, sed omne etiam, quod ipsi deest
ponderis, ex VESTRA ad illud accedere
auctoritate et indulgentia, noui. Omni ita-
que qua par est a VOBIS, PATRONI
EXCELLENTISSIMI, contendo re-
uerentia, velitis hanc gratissimi obstrictissi-
mique animi tesseram, obseruantiae et pieta-
tis aeternae obsidem, perpetuaeque reueren-
tiae monumentum, ea, qua semper in me fui-
stis humanitate et indulgentia, accipere. Ego
sane,

*sane, qui totus VESTER sum, nouo hoc
beneficii genere, ad ea omnia, quae VO-
BIS debeo feliciter expedienda, excitabor,
hancque mihi legem dictam putabo, assiduis
ardentissimisque precibus perpetuam VO-
BIS, omnibusque numeris absolutam, ab aeter-
no Numine felicitatem impetrare.*

NOMINVM VESTRORVM
EXCELLENTISSIMORVM AMPLIS-
SIMORVMQVE

Scribebam
Lipsiae pridie Kal. Aprilis
A. R. S. M DCC XXXVIII.

CULTOR DEVOTVS

M. CHRISTOPH. GOTTHELF MOLLERVS.

38) ○ (38

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

- Prooemium, diuersos diuersorum in oracula de diuinitate Christi infelicissimos conatus, recenset.*
- §. I. *Subiectum dicti Paulini explicat et confirmat.*
- §. II. *Vocis ἡραεαυτῆρος derivationem, suppeditat.*
- §. III. *Vocis ἡραεαυτῆρος significationem illustrat ex autoribus profanis.*
- §. IV. *idem praestat ex Versione LXX. Interpp.*
- §. V. *idem suppeditat e patribus Ecclesiae.*
- §. VI. *Quenam significatio nostro in loco obtineat, demonstrat.*
- §. VII. *De Vocis ὑποσάσεως Etymologia sermo est.*
- §. VIII. *Ad genuinam vocis ὑποσάσεως significationem euoluendam, citantur autores profani.*
- §. IX. *Harum sententiarum ἀνεμφαδείως instituitur.*
- §. X. *Significatio ὑποσάσεως eruitur e LXX. Interpretum Versioe.*
- §. XI. *e N. T. Oraculis.*
- §. XII. *e Patribus Ecclesiae.*
- §. XIII. *Significatio quae in loco nostro inprimis adhibenda, euincitur.*
- §. XIV. *Contra illos, qui omnes N. T. pbras e lingua Hebraica volunt explicari, quaedam monentur.*
- §. XV. *Veteres huius oraculi falsi interpretes recensentur.*
- §. XVI. *E recentioribus Limborchius refutatur.*
- §. XVII. *Clerici falsa explicatio reiicitur.*
- §. XVIII. *Contra Crellii explanationem quaedam adducuntur.*
- §. XIX. *ad quodnam Subiectum αὐτῆ referendum, demonstratur.*
- §. XX. *Finis Dissertationi imponitur.*

PROOE-



Ἐν τῷ ἐπισημασμένῳ Χριστῷ!

PROOEMIUM.

§. I.



ximiam et plane incomparabilem, quam *Deus O. M.* circa sanctissima sua oracula conspiciendam praebuit hominibus, providentiam mirari satis nequeo, et quoties singulare ac paternum hoc *Dei* nostri beneficium paulo curatius considero, considero autem saepius, toties non solum devotissima ad illud mente agnoscendum, sed etiam ad maximas, vti par est, ipsi agendas gratias pro praestita hac nobis gratia, quam maxime impellor, impellenturque, ut arbitror, omnes, qui sinceri *Dei* nostri sunt cultores.

§. II.

Quoties e contrario gravissimos nefandosque quorundam, imo multorum hominum intueor imperus, quibus sacras inuadere haud erubuerunt paginas; toties stupefactus horreo, et scelestissimos horum hominum ausus, eorundemque impios et non satis deplorandos conatus, vix ac ne vix quidem verbis exprimere, nedum reprehendere, satis valeo.

A

§. III.

§. III.

Tristissima proh dolor! experientia, et Historiarum monumenta luculentissima demonstrant, quod omni tempore acerrimi, tum externi, tum interni extiterint hostes, qui omnes et ingenii et iudicii vires, a benignissimo creatore non ad laedendum, sed promouendum illius honorem concessas, eo adhibuerint, vt diuinam Scripturae S. auctoritatem, aut prorsus euerterent, aut si eandem admiserint, praecipua tamen religionis christianae capita turpissime foedarent, et clarissimum saepius a *Spiritu S.* suppeditatum sensum friuole detorquerent, adeoque sapientissimae diui PAVLI admonitionis plane essent incurii *) παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, διὰ τῆ ἀνόμιλος τῆ κυρίε ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἵνα τὸ αὐτὸ λέγῃτε πάντες, καὶ μὴ ᾗ ἐν ὑμῖν σχίσματα, ἧτε δὲ κἀνηλισμένοι ἐν τῷ αὐτῷ νοί, καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ.

§. IV.

Nullus fere error, etiam absurdissimus vnquam fuit in Ecclesia, cuius praesidium eius patroni in Scriptura non quaesuerint, et quod mireris, se inuenisse somnare haud dubitauerint. Si causam velis, nullam deprehendes aliam, quam, vt homines illi seductores falsis suis sententis speciem quandam acquirerent, qua imprudenciores ac infirmiores eo facilius decipere daretur: et hinc tot iniquarum oraculorum diuinorum inuersionum, seu quod rectius, detorsionum, origo infelicissima.

§. V.

Pluribus meridiano sole clariorem hanc veritatem hic exponere non licet, vno tamen saltem exemplo rem adhuc declarare placet. Cur famosiores illi homines LAELIUS, et PAVSTVS SOCINVS, cur omnes eorum veteres pariter ac recentiores aetclae infelicissimi, tam multa, tamque clarissima veteris non minus, quam noui foederis oracula ini- que plane, et reclamante quasi *Spiritu S.* explicauerunt, aut praepostero potius consilio detorserunt? Causa in promptu est;

*) 1. Cor. I, 10.

est: vt nimirum erroribus plane nefandis fucum quandam adpingerent, et *Christum* in primis, adorandum nostrum *Seruatore*m, diuinitate sua priuare tentarent. Hinc non tam mirandum, quam deplorandum magis, quod coccutientes illi homines primum de Messia per Mosen consignatum Euangelium Gen. III, 15. *זרם ישופך ראש וזאת השופני* : *קבץ* minime de femine mulieris, de Domino nempe nostro ac *Seruatore* IESV CHRISTO, caput daemonis contrituro, sed cum Iudaeis de hostili homines inter et serpentes dissidio exponant. Quorum vero deliramenta pari cum modestia et eruditione nuper refutauit, *Patronus incomparabilis Summe Venerabilis* CHRIST. FRID. BOERNERVS, *S. S. Theol. D. Prof. Primarius, et praecipuum Academiae ornamentum.* *)

§. VI.

Quemadmodum vero sic infestissimi Deitatis *Christi* hostes, hanc de *Christo* promissionem male interpretari, haud dubitarunt: ita etiam caetera de *Christo* oracula in Veteri Testamento obuia, obscurare omni studio laborarunt cum veteribus, recentiores. Ex recentiori aeuo duos nominare sufficiet, qui ad castra Socinianorum transire, et *Christum* e Scriptis S. proscribere, haud fuerunt veriti. Certo certius est Gen. XXXII, 26. et sequentibus angelum coluctatorem *Patriarchae Iacobi* non creatum, sed increatum,

A 2

Chri-

*) vid. Commentationem eiusdem natalitiam publice propositam L. 1736. 4. p. 12. vbi famosissimos Socinianos, huius detorsionis Patronos, scilicet *Io. Sommerum* in Refutat. *Pet. Caroli* L. II. Cap. 3. f. 73. *Val. Smalcium* in libro de diuinitate *Iesu Christi* cap. 2. p. 4. et in Refutatione libri *Mart. Smigleccii* de satisfactione *Christi* cap. X. p. 266. et 269. seqq. et p. 14. *Christianum Democritum* Rediuium, et nouum illum, eundemque infelicissimum, *Wertheimensem Bibliorum interpretem* profligauit. Confer vero etiam eiusdem commentationem Paschalem L. 1737. editam, vbi genuinum sensum solidissime enucleauit, parique cum cura contra friuolas aduersariorum exceptiones firmavit.

Christum nempe *Filium Dei*, fuisse. Verum enim vero placuit *Ioanni Clerico* uti saepius, ita et hoc in loco cum Sociianis coecutire, et angelum hic statuere saltem creatum *). Alter est *Balthasar Beckerus*, qui plane somniat, quare etiam lucram *Iacobi* cum angelo increato, nimirum *Christo*, vero *Deo*, non vere et realiter, sed saltem in visione noeturna, eaque diuina, vi imaginationis factam fuisse scribit. En illius verba Germanice conuersa **): *Iacobs Ringen mit Gott, und das Gespräch, so sie mit einander gehalten, achte ich, dass es wie sonst jedesmahl vor und nach, in einen Göttlichen Nacht-Gesichte geschehen sey*: tam diligens antiquus ille serpens omni aevo fuit, ut ad oracula de *Christo* euerrenda ac deprauanda, impios homines excitaret. Sed in praesenti non immorabimur somniis his refutandis: dum otia nobis fecit *Vir maxime Venerabilis, Fautor cum cura colendus*, M. IEREMIAS FRIDERICI, et cum ipso alii. ***)

§. VII.

Progredimur potius ad Nouum Foedus et tribus saltem demonstramus exemplis, quo impio conatu, impii illi homines et clarissima nonnunquam illius verba de *Christo* detorqueere laborent. Clarissimum sane de diuinitate *Christi* exhibet diuus *Iohannes* testimonium C. I, v. l. εν ἀρχῇ ἦν ὁ λό-

*) In Commentario in Gen. XXXII. 26. p. 218.

**) In seiner bezauberten Welt L. II. C. XI. §. 10. p. 72.

***) Duas hic Lipsiae anno 1729. habuit Dissertationes contra hos nugatores *Ioan. Clericum* et *Balthasarem Beckërum*, quarum priori probatum dedit ipsum *Deum* aeternum *Iacobi* fuisse colluctatorem, posteriori vero, *Filium Dei* seu secundam Trinitatis personam cum *Patriarcha* piissimo esse lucratum. Adde *Praeceptoris Excellentissimi, Summe Reuerendi SALOMONIS DEY-LINGII* Exercitationem de Angelo colluctatore *Iacobi*, quae extat in Observationibus Misc. P. II. Exercit. XIV. p. 818. seqq. Lipsi. 1737. 4to. editis. Confer etiam *CHRIST. AVGVSTI HEVMANNI* Dissertationem de reluctatione *Dei* aduersus *Iacobum* Goettingae 1732.

ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος.
 Quem vero latet, quam iane miserrime diuinum hoc ora-
 culum deprauare et verum ac genuinum *Spiritus S.* sensum
 e medio plane tollere omnem mouerit lapidem infausto
 molimine *FAVSTVS SOCINVS*, et qui eius in sententias iu-
 rarunt sectatores. *)

§. VIII.

Taceo veteres et ex recentioribus iam ad solum *L. M. ARTEMONIVM* seu sub hoc nomine latentem, *SAMVELEM CRELLIVM* prouoco, hominem alias non ineruditum, qui nostro in primis aeuo infensissimo plane animo initium *Euangelii IOHANNIS* inuasit, et apparatu ex antiquitate petito, sententiam suam firmare, et *Christum* e sede sua plane proscribere, irrito consilio laborauit. **) sic et aliis in locis operam suam perdidit alii, iidemque quamplurimi.

A 3

§. IX.

*) vide inspidas eorum explicationes in *Bibliotheca Fratrum Polonorum, quos unitarios vocant*, instructa operibus omnibus *Fausti Socini, Ioannis Crellii, Ioannis Schlichtingii, Io. Lud. Wolzogenii*, quae iuncta, totius *N. T.* explicationem complectuntur Irenopoli 1656. VI. Vol.

**) Edidit Londini librum sub inscriptione: *Initium Euangelii S. Iohannis Apostoli, ex antiquitate Ecclesiastica restitutum, indidemque noua ratione illustratum* 1726. suo Vol. 2. In quo in primis libro lectionem receptam in *Euangelio Iohannis: Deus erat verbum, in Dei erat verbum* mutare, adeoque *Christum* ex hoc loco proscribere tentat. De autore, et nimia illius audacia pluribus egerunt *IO. LAVR. MOSHEMIVS* in *Diss. de raptu Christi in coelum*, quae extat in *Syntagm. Diss. ad sanctiores Discipl. pertinent.* Lipsi. 1733. 4. p. 351. sqq. Et nuperrime *Patronus Excellentissimus Celeb. IO. ERHARD. KAPPIVS* in elegantissima *Diss. qua Historia ARTEMONIS et ARTEMONITARVM sistitur* L. 1737. vbi non solum hoc, sed etiam alia dicta a *CRELLII* corruptelis vindicantur, caeterique, qui *CRELLIVM* refutarunt, vberius indicantur.

§. IX.

Aeternam vero cum homunciones isti *Christi* diuinitatem reiicere haud dubitent, mirari neque nos subeat, cum videamus illos etiam non erubescere, vniuersum religionis nostrae sanctissimae centrum, saluberrimam scilicet de satisfactione per *Christum* facta doctrinam euertere, eandemque non solum vt Scripturae S., sed etiam vt sanae rationi contrariam, quid, quod? vt ipsorum hominum saluti in primis perniciosam pronunciare. Impias eius criminatio- nes, nec non abominabilem oraculorum illorum omnium, quae pro confirmanda hac doctrina, sacrae nobis suppedi- tant literae, detorsionem in *Catechismo Racouiensis* inuenies.*) Cum his facit PETRVS POIRETVS, qui hanc doctrinam impietatis pariter atque absurditatis arguere haud dubitat, nec non infensissimus satisfactionis *Christi* hostis CHRIS- TIANVS DEMOCRITVS.

§. X.

Sed ineptissimi hi homines Sacra Scriptura non vtun- tur, sed abutuntur, id quod iam dudum *Consummatissimi* *Nostrates Theologi* dederunt demonstratum.***) Absit lubri- cis illorum insistere vestigijs, id potius dabimus operam, vt ex purioribus illis fontibus, quos in S. nobis codice S. *Numen* aperuit, puriora hauriamus dogmata, illaque rectius pro confirmandis diuinis veritatibus applicemus. Pericu- lum in praesenti pro virium modulo huius rei facere, con- stituimus, et Textum nobis Apostolicum ad genuinas Phi- lologicae Interpretationis regulas examinandum, et contra variorum varias sententias vindicandum sumimus, id quod fiat feliciter!

Ebr.

*) vide n. 10. IAC. RAMBACHII vindicias satisfactionis Christi a friuolis *Catechismi Racouiensis* accusationibus, Giessae 1734.

**) praeter Systemata nostra Theologica conf. RAMBACHII Dis- fert. p. 6. et IOH. OLEARII Synopsis.

Versio Gallica.

Lequel fils étant la splendeur de la gloire, et la marque gravée de sa personne, et soutenant toutes choses par sa parole puissante, ayant fait par soi-même la purification de nos péchez, s'est assis à la dextre de la Majesté dans les lieux très-hauts.

§. I.

Nostro cum in loco haud expressis verbis illius mentionem factam esse deprehendamus, de quo tamen pronunciat, quod sit gloriae Dei splendor, et imago illius substantiae expressa, et quod cuncta potenti suo ferat sermone, et quod factus sit redemptor noster per semet ipsum, et quod ad dexteram maiestatis in sublimi sedeat; id omnino ante omnia nostrum erit demonstrare, de quonam haec omnia *Diuus Apostolus* afferuit. Satis vero luculenter id apparebit, ubi tam illa, quae locum nostrum antecedunt, quam ista, quae eundem sequuntur verba, accuratius perlegerimus. In antecedentibus *Scriptor sanctissimus* de diuersis, quibus olim ad patres *Deus* locutus fuerit modis differit, simul vero illius per quem in postremis hisce temporibus voluntatem suam nobiscum communicet, facit mentionem, *multipli enim inquit per Prophetas olim ad Patres Deus locutus est ratione; postremis vero hisce temporibus locutus est nobis in Filio, quem omnium statuit haeredem, per quem etiam mundum fecit*, quae itaque cum haud interrupta serie cum nostro loco cohaereant, et in illo, de *Filio* statim commemorato *Apostolum* sermonem facere, liquet. In verbis quae sequuntur, ipse *Deus filium* hunc nuncupat *filium suum*, auctorque sacri libri, ad *Dei* declarationem, qua se *fili* illius patrem futurum promisit prouocat, ideoque sole meridiano clarius, verba nostra de *solo Christo* esse explicanda. Neque, de quo certe sumus persuasi, in dubium illud

illud vnquam iste vocabit, qui solam nostrorum verborum seriem rectius reputer. Illud vero cum nimis amplum foret, omnium si Phrasium in nostro versiculo obuiarum euolutione, illud probare conaremur; in eam tantum, qua *Christus χαρακτήρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ* nuncupatur inquirere, et saniori sensu euoluto, eandem contra variorum iniurias vindicare, est animus.

§. II.

Instituti itaque nostri postulat ratio, vt primum de vocabulo *χαρακτήρ* eiusque tam deriuatione, quam significatione, sumus solliciti: Facili quidem negotio quilibet originem τῆ *χαρακτῆρος* in eo inueniet, quando τὸν *χαρακτῆρα* a tertia persona Sing. Praeteriti Pass. *κεχάρηται*, verbi *χάρω* vel *χαρατῶ* sculpo, signo, imprimo, acuo¹ deriuauerit; sed maiori omnino studio genuinam eius significationem esse eruendam, cum vocabulum *χαρακτήρ* sit N. Testamenti *ἀπαξ λεγόμενον* et tantum nostro in loco obuium, apud caeteros vero Scriptores saepius quidem, sed diuerso etiam plerumque significato occurrat, nemo negauerit. Ne itaque et nos lubrica hac in via fallamur, opus erit *exteros* primo *scriptores*, deinde *venerandos*, vt dicuntur *Patres* in subsidium vocare, et variis exinde huius vocabuli significationibus cognitis, quae nostro in loco obtinent, colligere.

§. III.

Ex Graecis Scriptoribus iisdemque profanis, quantum nobis constat, *EURIPIDES* primum hoc vocabulum adhibuit, ipsique *χαρακτήρ* idem est ac *nota* et *signum*. Verba illius haec sunt. *)

Δεινός

*) Extant *EURIPIDIS* verba in *Hecuba* v. 379 seqq. p. 14. Edit. *IOS. BARNESII*, Cantabrigae 1694. fol. vbi Scholiastes ita vocem *χαρακτήρ* explicat: *ἐπιτήδειος χαρακτήρ ἦται σφραγὶς καὶ σημεῖον, καὶ ἐπίσημος, ἦγεν διὰ δῆλος ἐν βροταῖς κ τ. λ.*

πιπτόθην Δεινός χαρακτῆρ καὶ πίσσημος ἐν βροτοῖς, κρυπνὸν bulli
 Ἐσθλῶν γενέσθαι.

Mira nota et insignis est, inter homines
 A bonis natum esse.

EVRIPIDI, subiungendus ISOCRATES, qui pari ratione
 hoc vocabulo usus est. *) Ραίδιον, inquit, δὲ τὸ κατὰ-
 μαθεῖν ἐκ τῶν Ἡρακλέους ἀθλῶν καὶ τῶν Θεσείας ἔργων, οἷς
 ἢ τῶν τρέπων ἀρετὴ τηλικῆτον εὐδοξίας χαρακτῆρα τοῖς ἔργοις
 ἐπέβαλεν, ὥστε μὴδὲ τὰ ἀπαντα χρέον δύνασθαι, λήθην ἐμ-
 ποιῆσαι τῶν ἐκείνοις πεπραγμένων. „Facile vero hoc, tam ex
 „Herculis certaminibus, tum e Thesei operibus perspic-
 „potest, quorum factis, praestantia morum tantum existi-
 „mationis bonae signum impressit, ut nulla saecula res eo-
 „rum gestas, obliuione delere possint. „ Addi his porro
 meretur **) ARISTOTELES cui χαρακτῆρ imaginem num-
 mo impressam denotat. Postquam enim enarrarit, initio
 pretium argenti magnitudine et pondere esse definitum: ita
 pergit: τὸ δὲ τελευταῖον καὶ χαρακτῆρ ἐπιβαλλόντων, ὥστε
 ἀπολύτῃ τῆς μετρήσεως αὐτῆς, ὁ γὰρ χαρακτῆρ ἐτέθη τῆ πο-
 σῆ σημεῖον. „Ad extremum vero etiam ab iis nota signa-
 „tum ut labore metiendi ac ponderandi defungerentur:
 „nota enim impressa est ad quantum significandum. „ Et
 alio in loco: ***) συναλλόντων δὲ ἐπὶ τὸ κάψαι ἕτερον χα-
 ρακτῆρα ἐξέδοκε τὸ αὐτὸ ἀργύριον. „Cumque conuenirent,
 „qui alio signo vellent cadere, idem illud argentum eloca-
 „uit, „ et rursus ****) Ἀνεχθέντος δὲ τῆ ἀργυρίας ἐπίκοψαν
 χαρακτῆρα. „Allato argento percussit nummum. DIO-
 DORVS SICVLVS per vocem χαρακτῆρ intelligit faciem

aut

*) ISOCRATES in oratione ad *Demonicum* p. 7. Edit. HIERO-
 NYMI WOLFFII 1613. 8.

**) de cura rei familiaris Lib. II. p. 689. T. III. Edit. CVIL. DV VAL-
 LII Parisiis 1664. fol.

***) l. c. p. 684.

****) l. c. p. 685.

aut potius illius lineamenta. *) Sic enim scribit, quando illud memoriae prodere occupatus est, quod Aegyptii maiorum cadauera diligenter asseruare, et defunctorum facies saepius contemplari solerent: *ὡς τε ἐκάσω τὰ τε μεγάθη καὶ τὰς περιοχὰς τῶν σαμάρων, ἐτι δὲ τὰς τῆς ὄψεως χαρακτηριστῆρας ὁραμένους παράδοξον ψυχαγωγίαν παρέχουσαι καὶ διάπερ συμβεβηκότας τοῖς θεωρημένοις: „Vt singulorum complexum corporum ac lineamenta faciei contuentes mirifica voluptate, non secus ac adhuc secum viuerent, adficiantur. Apud DIONYSIVM HALICARNASS. significat χαρακτηριστῆς formam loquendi. **) Δηλοῖσι δὲ, inquit, ὅτι τὸν ἠνεκάντο γλώττης χαρακτηριστῆρα μεταβαίνοντες ἐς ταῦτα τὰ χαρακτηριστῆρα, τῆτον ἔχουσι ἐν Φυλακῇ. „ Satis autem demonstrant se accurate seruare illam ipsam linguae formam, quam secum attulerunt, quum in has regiones migrarunt. „ Pari ratione de forma dicendi adhibet hanc vocem PLVTARCHVS. ***) Τὸν αὐτὸν τρόπον οἱ πολλοὶ χρόνῳ τὸν λόγον σφίγγαντες, καὶ εἰποτε ἐν τῇ παραχρῆμαί δεήτην ἐπέειν, ἐδεν ἴητρον τὸν αὐτὸν τρόπον τῆς ἐμνησίως χαρακτηριστῆρα φυλάττεσσι. „ Ita qui orationem multo a tempore confictam tenuerunt; ii etiam si aliquando oporteat subito dicere, nihilominus eandem, tamen interpretationis formam retinent. „ PHILONEM si porro euoluamus, eundem χαρακτηριστῆρα pro quacunque figura et forma vsurpasse deprehendimus; ****) ita enim scribit: *ὅτι ὅσπερ ἐν κηρῷ τῇ ἑαυτῆ ψυχῇ τὰς ἐκάσων δεξάμενος τύπεσ, ἀγαλματοφρεσὶ νσητὴν πάλιν, ἥσ ἀνακνήσας τὰ εἶδωλα μνήμη τῇ συμφύτω καὶ τὰς χαρακτηριστῆρας, ἐτι μᾶλλον ἐσοφραυστάμενος οἷα δημιεργὸς ἀγαθὸς ἀπεβλέπων εἰς τὸ παρ**

B 2

ῥάδειγμα

*) L. I. p. 82. Edit. WECHEL. 1604. fol.

**) L. I. C. XXIX. p. 23. Edit. IOAN. HUDSON Oxoniae, 1704. fol. Tomo I. apud quem etiam inuenies χαρακτηριστῆρας λόγος σικεπέν.

***) in aureo Libello de puerorum Educat. C. IX p. 155. Edit. PETRI WESTHVSII, Hamburgi, 1702. 8uo.

****) vide PHILONIS Iudaei Opera ab ADRIANO TURNERO edita et illustrata, Francof. 1691. et quidem L. de mundo p. 4.

ῥοδεδιγμοι, τὴν ἐν λίθων, καὶ ξύλων ἀρχεται κατασκευάζειν ἐν-
 κρασίαν ἐκάστη τῶν ἀσωμάτων ἰδεῶν τὰς σωματικὰς ἰσομοιῶν
 ἑστίαις. „Deinde impressis veluti in ceram in suum animum
 „singularum rerum imaginibus, effingit urbem intelligibi-
 „lem; cuius effigiem innata retractans memoria, atque
 „impressis sibi magis etiam simulacris, ut bonus artifex,
 „ad semel propositum exemplar respiciens, aggreditur de-
 „signatam suam structuram, e saxi et materia repraesentans
 „incorporeas illas ideas singulis operis partibus. „ et
 „alio in loco: *) ἡ μὲν ἐν κοινῇ πρὸς τὰ ἀλογα δύναμις ἐστὶν
 „ἔλαχεν αἶμα. ἡ δὲ ἐν τῆς λογικῆς ἀποβῆναι πηγῆς, τὸ πνευ-
 „μα, ἐκ ἀέρος κινέμενον, ἀλλὰ τύπον τινὰ καὶ χαρακτηριστὴν θείας
 „δυνάμεως, ἢ ὀνόματι κυρία Μωυσῆς εἰκόνα καλεῖ, δηλῶν, ὅτι ἀρ-
 „χέτυπον μὲν φύσεως λογικῆς, ὁ Θεὸς ἐστὶ, μίμημα δὲ καὶ ἀπει-
 „κόνισμα ἀνθρώπου, ἔ τὸ διφυῆς ζῶον, ἀλλὰ τὸ τῆς ψυχῆς ἀρι-
 „στον εἶδος, ὃ νῦν καὶ λόγος κέκληται. „Ergo vis illa, quae
 „nobis cum brutis communis est essentiam accepit fanguis-
 „nem: at illa, quae a rationali fonte demanat, spiritus est,
 „non aër motus, sed character quidam, et effigies diuinae
 „potentiae, quam nomine proprio Moses appellat imagi-
 „nem, significans, quod archetypum rationalis naturae Deus
 „est, homo vero imago seu effigies non illud geminae
 „naturae animal, sed quod est in anima praestantissimum,
 „quod vocatur mens et ratio. **) Et denique ipse sic lo-
 „quitur: ὁ δὲ μέγας Μωυσῆς εἶδεν τῶν γεγονότων τῆς λογικῆς
 „ψυχῆς τὸ εἶδος ὁμοίως ἀνόμασεν, ἀλλ' εἶπεν αὐτῇ τῷ θεῷ καὶ
 „ἀόρατος εἰκόνα, δόκιμον εἶναι νομίσις ἐστιαθεῖσαι καὶ τυπωθεῖσαι
 „σφραγίδι θεῷ, ἧς ὁ χαρακτηριστὴς ἐστὶν αἰδὶος λόγος. „At magnus
 „ille Moses nullae creaturae rationalis animae speciem facit,
 „similem, quam inuisibilis Dei pronunciauit imaginem:
 „hoc ipso probam existimans, quod essentiam formam-
 „que diuinitus impressam habeat, cuius character aeternus
 „fermo est. LUCIANVM si conferamus, eandem vocem
 χαρακτηριστῆ

*) Libro de eo, quod deterius potiori infidari solet p. 170.

**) ibidem p. 216. et 17. L. de Plantatione Noe.

χαρακτῆς de facie vsurpasse videmus, *) sic enim scribit: Quis potest perferre foeminam, ἧς ὁ μὲν ἀληθῶς χαρακτῆς ἀμορφος, cuius natia facies vere turpis est. Et alio in loco **) de forma quacunq̄ue: Ἀκολέδοι καὶ παιδαγωγοὶ χερὸς αὐτῶ κόσμος ἐποίησεν τὰ σεμνὰ τῆς ἀρετῆς ἐν χερσὶν ὄργανα κραιπνότες, ἔπειθ' ἐκτενὸς ἐντυμὸς κόμην κατακλήσκειν δυναμένους ἐπὶ ἑσοπτρῶν τῶν ἀντιμόρφων χαρακτῆρων ἀγροάφους ἐμόνας. „AS-
nerabilia virtutis instrumenta manibus tenentes non secti
pectinis incisuras, quibus coma demulceri queat, neque
specula formarum oppositarum, non pictas imagines. „
Tandem apud Rhetores χαρακτῆς pari ratione genera dicendi denotat, id quod tam ex DEMETRIO PHALEREO, HERMOGENE, et aliis luculenter apparet, quam etiam ex SVIDA cognosci licet. ***)

§. IV.

Satis itaque ex his, quae modo adduximus, constare possit, quid vocabulum χαρακτῆς, apud profanos, quos ordine fere considerauimus chronologico, autores significet, α) notam et signum ***) alicui rei insculptum, impressum, aut inscriptum, β) imaginem vel effigiem alicui rei impressam, γ) faciem illiusque lineamenta, δ) formam linguae
B 3 et

*) Amores p. 1056. Edit. Salmurienſis 1619. 8uo T. I.

**) ibidem p. 1061.

***) Tom. III. p. 655. Edit. KVSTERI.

****) improprie signum, aut imaginem animi: Adstruere videtur hanc significationem prouerbium, quod apud ANDR. SCHOTTVM in Collectione Adagiorum Graecorum Antwerpiae ab ipso 1612. edita, 4. p. 601. n. 461. inuenies. Ἄνδρος χαρακτῆς ἐκ λόγου γνωρίζεται, viri nota, ore proprio dignoscitur. Hinc morum etiam descriptiones vocantur χαρακτῆρες ἠθικαί, quales composuit Theophrastus, idem enim esset ac si Theophrastus suas morum imagines ἐμόνας ἠθῶν dixisset. Egregie commendantem vide ISAACVM CASAVBONVM, in Comment. ad THEOPHRASTI characteres p. 89. Edit. illius Brunſuigae, 1659. 8.

et genus dicendi, ε) formam denique et figuram quamcumque. Praeter hos vero iam allatos significatus, et alii adhuc in versione LXX. Interpp. occurrunt, quos si iam allegamus, operam haud perdituri putamus. Horum vero ductu, ζ) *χαρακίτης* cicatricem denotat, uti videre est Levit. XIII, 28. *Ἐάν δὲ κατὰ χάραν μείη τὸ ἀνγάζον κατὰ μὴ διαχυθῆ· ἐν τῷ δέρματι, ἀνὴρ δὲ ἀμαυρῶν ἢ, ἐλθὲ τῷ κολοκακῦμαλός ἐστὶ, καὶ κωδαριεὶ αὐτὸν ὁ ἱερεὺς· ὁ γὰρ χαρακίτης τῷ κολοκακῦμαλός ἐστὶ.* In CASTELIONIS versione ita fluunt verba: „sin macula eadem manserit, neque per cutem creuerit, sed obscurior facta fuerit, adustionis tumor est, mundum iudicato: nam ambusti cicatrix est.“ SEB. SCHMIDTUS quoque vocabulum hebraicum חַרְכִּיתַי per cicatricem transtulit: LUTHERVS *eine narbe*. Iidem autem interpretes et aliam huic vocabulo attribuunt significationem, scilicet η) ritus, vel mores hoc nomine exprimentes, uti apparet ex 2. Maccabaeorum C. IV. v. 10. ubi ita loquuntur *ἑπνεύσαντες δὲ τῷ βασιλέως, καὶ τῆς ἀρχῆς κρείσσας, εὐθείας ἐπὶ τὸν Ἑλληνικὸν χαρακίτηα τὸς ὁμοφύλους μετήγε, ἠταπυλαres ad Graecos mores traducebat.* Hinc recte quidem, sed minus sufficienter respondet euoluenti Glossarium *) quando sub voce *χαρακίτης* sequentes apposuit significationes, *vultus, ritus, figura, lineamentum, nota, signaculum*, restant enim, ut videmus, aliae huius vocis significationes. Atque haec in genere de significatione vocis *χαρακίτης* sufficiant, quantum ex profanis et LXX. interpretibus eandem autoribus illustrare licuit. Quae autem nostro in loco significatio ex mente Patrum valeat, ex eorum testimoniis nunc adducendis patebit.

§. V.

Laudabili quidem studio in hoc nobis genere praesuecit IOAN. CASPAR SVICERVS, et TOBIAS PFANNERVS, alter in thesauro suo ecclesiastico, alter in ecclesiasticis quas vocat amoenitatibus. Nos cum illis ea, quae huc imprimis

*) a CAROLO LABBEO Parisiis, 1679. fol. editum p. 202.

primis pertinent, in medium fumus allaturi. Prodeat igitur primum GREGORIUS NAZIANZENSIS, qui suam de voce *χαρακτήρα* sententiam, ita exprimit: *) *υἱός, μονογενής, ὁμοῦζεται αὐτῇ ὁδός, καὶ ἡ ἀλήθεια, ζαή, Φῶς, Θεὸς δύναμις, Θεὸς σοφία, ἀπαύγασμα, χαρακτῆρ, εἰκὼν, σφραγίς* „filius unigenitus nominatur via, et veritas, „vita, lux, potentia Dei, et Dei sapientia, splendor, character, imago, sigillum. „ Porro audiamus CHRYSOSTOMUM, qui ita in verba nostra commentatur: **) *τί δὲ Φησὶ καὶ χαρακτῆρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, ὅν, ὡς περ ἐστὶν αὐτὸς ἐνοπίστατος, θεῖνός δεόμενος, ἔτω καὶ ὁ υἱός. Ἐνταῦθα γὰρ τὸ ἀπαράλλακτον δεμνὺς τῆτο Φησὶ, καὶ τὸν ἰδεάζοντα χαρακτῆρα τῆ προτοτύπῃ, ὡς ἐν ὑποστάσει ἐστὶ καὶ ἑαυτὸν. „ Quid autem dicit? et figura „substantiae eius, „nempe, sicut ipse est per se consistens, „nullius indigens, ita etiam filius. Hic enim hoc dicit ostendens non esse diuersitatem nec vllam dissimilitudinem, et „propriam esse figuram, et characterem exemplaris, et quod „per se consistat. „ Tertio si euoluamus loco BASILIVM, haec apud eundem occurrunt verba: ***) *καὶ τί γὰρ, ἀλλ' ἡ σφραγίς καὶ εἰκὼν, ὅλον ἐν ἑαυτῷ δεμνὺς τὸν πατέρα. Filius nihil aliud est quam σφραγίς et imago, totum in se patrem ostendens: Huic subiiciemus verba ATHANASII ****). ἀλλὰ καὶ ἐνταῦθα, οἱ ἐπίσκοποι θεωρήσαντες ἐκείνων τὸ δόλιον, συνήγαγον ἐς τῶν γραφῶν τὸ ἀπαύγασμα, τὴν δὲ στήν καὶ τὸν ποταμὸν, καὶ τὸν χαρακτῆρα πρὸς τὴν ὑπόστασιν καὶ τὸ, ἐν τῷ φωτίσῃ ὄψομεν Φῶς, καὶ τὸ, ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἑσμεν, καὶ λευκότερον λευκὸν καὶ συντόμως ἐγραψαν ὁμοῦσιν τῷ πατρί**

*) T. I. Operum Coloniae fol. 169d. per Morellum editorum Orat. I. de Filio, quae est III. de Theol. ordine vero XXXV. et habetur p. 573.

**) Homilia II. in Epist. ad Hebraeos p. 1761. Edit. Commelina 1596. fol. III.

***) Vid. L. illius *περὶ τῆς πίστεως* p. 197. Edit. Frobeniana, Basil. 1551. fol. Versionem Lat. vero euolue in Edit. WOLFGANGI MVS CVLI Basil. 1565. fol. p. 372.

****) Epist. ad Episcopos Africanos, p. 721. Edit. Commelina 1600. fol.

τὸν υἱόν. „Caeterum Episcopi intellecta eorum fraude, col-
 „legerunt in vnum has voces ex sacris literis splendorem,
 „fontem et fluuium et formam cum substantia, et illud item.
 „Et in lumine tuo videbimus lumen, et illud quoque. Ego
 „et Pater vnum sumus, et pro maiori elucidatione scriple-
 „runt filium patri esse consubstantialem. „ Neque nobis
 praetereunda videtur THEODORETI sententia, quae his
 concepta verbis prostat: *) Καθ' ἑαυτὸν γὰρ φησὶν, ὑφέση-
 κεν, ἔλον ἐν ἑαυτῷ δευτὸς τὸν πατέρα. „Per se, inquit, subsistit
 „totum in se patrem ostendens. „ Et alio in loco: **) ὁ
 χαρακτήρ τῆς ὑποστάσεως καὶ τὸ ἀκριβὲς τῆς ὁμοιότητος δεικνύσι,
 καὶ τὸ τῶν ὑποστάσεων διδάσκει διάφορον. „Character substan-
 „tiae et perfectam similitudinem ostendit, et personarum
 „docet differentiam. „ Inprimis vero etiam CYRILLI ALEX-
 XANDRINI verba haud nobis videntur praetermittenda,
 quae ita fluunt. ***) Ἡ σφραγὶς ἦτοι τὸ σημαντικὸν τὸ ἐξ ὕλης τυ-
 χὸν πεποιημένον ἦτοι: σιδηρᾶς ἦγεν τῆς ἀπὸ χρυσῆ, ἅρ' ἐχὶ πάν-
 τως ἐν χαρακτῆρι τινὶ κατασημαίνει, τὰ ἐν οἷς γὰρ καὶ δίχα χα-
 ρακτῆρος ἔσαι τε καὶ νοηθήσεται σημαντικόν; ἀλλ' ἄμα πᾶς τις
 ἐν, ὅτι καὶ τῶν περὶ ἐκείνοις, καὶ ἐχ' ἐκὼν ὁμολογήσειεν ἀπὸ τῆ
 πρέποντος πρὸς αὐτὴν συνεκλόμενος τὴν ἀλήθειαν ὅτι δι' πάντως
 ἐν χαρακτῆρι σφραγίζει χαρακτῆρος, δὲ δίχα κατὰ γε τὸν ἐν τῷ
 πρέποντι λογισμῶν, ἐδαμῶς. Ὅτε τοῖνυ καὶ ὡς περὶ ἡμῶν ἡ θεῖα
 διαμαρτυρεται γραφὴ, χαρακτῆρ τῆς ὑποστάσεως τῆ Θεῶ καὶ πα-
 τρός ἐστιν ὁ υἱὸς ἐν αὐτῷ δὲ ἂν δηλονότι καὶ ἐξ αὐτῆς φυσικῶς αὐ-
 τὸς ἐν τίνι κατασημαίνεται, ἢ διὰ τίνος ἑτέρου σφραγίζει χαρακτῆ-
 ρα τὸν ἴδιον ὁ πατὴρ; εἰ γὰρ δι' τὴν ἐρεὶ τὸν πατέρα μὴ εἶαι πάν-
 τως ἐν εἰδει θεοπεπεῖ, ὡς περ ἐστιν ὁ υἱὸς ἡ μορφή τῆ τεκόντος αὐ-
 τῷ, ὡν εἴπερ τις θεάσασατο νοητῶς, αὐτὸν ὄντων ὅτι κατ' ὄνομα τὸν
 πατέρα. Διὰ γὰρ τὰ τῆτο καὶ ἑαυτὸν εἶναι φησὶν ἐν αὐτῷ φυσικῶς

*) Interpp. Epistolarum Paulinarum, quae habentur T. III. Lutet.
 Parisiorum, 1642. ad h. l. p. 397.

**) Epit. diu. decret. C. II. p. 286.

***) L. III. in Io. C. V. qui liber habetur T. IV. p. 301. Edit. Io. Au-
 bertii Lutetiae 1638.

κῶς καὶ ἐξ αὐτῆ νοῆται διὰ τὸ ἰδεοσύστατον. „Sigillum seu si-
 „gnaculum ex ferro, vel auro, seu quavis alia materia factum,
 „an non in charactere quodam significat formam suam et
 „sine charactere futurum est concipieturque signaculum?
 „At quiuis etiam illorum vel inuitus, veritatis vi adactus, fa-
 „tebitur, in charactere vtique signaturum, citra characterem
 „vero, si vt par est philosophari velint, neutiquam. Cum
 „ergo, sicuti nobis Scriptura diuina testatur, character sub-
 „stantiae Dei ac Patris sit Filius, quippe qui in ipsa est, et ex
 „ipsa naturaliter, in quonam ipse signatur, aut per quem
 „alium Pater characterem suum signaturus est? Nemo enim
 „certe Patrem dicet non esse in forma Deo conuenienti, i.
 „e. Filio, qui forma est sui genitoris, quem si quis intelle-
 „ctu conspexerit, ipsum vtique Patrem videbit. Idcirco
 „enim se ipsum quoque ait in ipso esse naturaliter, quamuis
 „ex ipso intelligatur propter propriam hypostasim. „ Au-
 „diamus adhuc ΤΗΕ ΟΡΗΥΛΑΚΤΥΜ *) ita differentem, χα-
 „ρακτήρη τῆς ὑποστάσεως αὐτῆ ἰ. ε. ὡσπερ ὁ πατήρ ἐστὶν αὐτὸς ἐνυ-
 „πύστατος, ἕθενός δέοντες εἰς τελείωσιν, ἔτω καὶ ὁ υἱός. Μετὰ γὰρ
 τὸ δεκνῆναι τὸ ἀπαράλλακτον, ἐτι καὶ τὸν ἰδιάζοντα χαρακτήρη
 τῆς προτύπου δέκνυσι διὰ τέτων ὁ ἀπίστολος. Ὁ γὰρ χαρακτήρ
 ἄλλος τις ἐστὶ παρὰ τὸ πρότυπον ὡς ὕφεσις αὐτὸς καὶ ἑαυτὸν
 ἑοικὸς μὲν τοῖ ἀπαράλλακτος τῷ πρότυπῳ. „Figura substantiae
 „eius h. e. quemadmodum Pater in sua Persona subsistens,
 „nullius alterius indiget ad sui perfectionem, sic et Filius.
 „Postquam enim ostenderit ei nullam esse dissimilitudinem,
 „propriam etiam primi exemplaris characterem esse et per
 „haec demonstrat Apostolus. Character enim aliud quid-
 „dam est ab Archetypo, vt qui ipse subsistit, sine vlllo tamen
 „discrimine prototypo similis. „ Tandem et GREGORIVM
 NYSSENVM addere e re nostra videtur, cuius verba sunt
 haec **); Διὰ τέτο δὲ τῆς διζῆς ἀπαύγασμα, καὶ χαρακτήρ
 τῆς

*) Edit. Aug. Lindfelli, Episcopi Herefordensis, versione Phil.
 Montani Londini 1636. p. 877. et 878.

**) T. II. Edit. Morelliana Parisiis 1638, p. 47. 48. fol.

τῆς ὑπόστασεως. Ὡσπερ γὰρ ἔχει πρὸς τὸν ἥλιον ἀκτίς, καὶ πρὸς τὸν λύχνον τὸ ἀπαναγασόμενον φῶς, καὶ ὁ τῷ ἀνθρώπῳ χαρακτὴρ τὴν ἀνθρώπιν ὑπόστασιν δείκνυσιν ἔτω καὶ τὸ παρὰ τῆς δόξης τῷ πατρὶ ἀπαναγασθὲν φῶς. Οἷα γὰρ ἡ δόξα, τοιοῦτον καὶ τὸ ἀπαναγασμα, καὶ οἷος χαρακτὴρ, τοιοῦτη παντὸς καὶ ἡ ὑπόστασις.

„Id circo autem splendor gloriae et figura substantiae appellatur. Vt enim radius cognationem habet cum sole, et cum lucerna lumen, quod ex eo resplendet, et hominis figura substantiam refert humanam: ita plane lumen, quod a gloria Patris resplenduit. Qualis enim est gloria, talis est splendor, et qualis figura, talis utique et substantia.”

§. VI.

Illis igitur, quae tam apud profanos, quos appellamus autores, quam apud venerabiles uti dicuntur Patres, de voce χαρακτὴρ profant, adductis significationibus, ordinis iam exigit ratio, ut quanam nostro inprimis in loco adhiberi possit et debeat, inquiramus. Proprie, ut supra ex *Aristotele* dedimus probatum, χαρακτὴρ imaginem, nummo impressam, denotat. Hanc vero et nobis, nec sine, si non fallimur, fundamento sufficienti, arridere sententiam, fatemur. Proprie quidem *Christum* imaginem neque sigillo neque nummo impressam dici posse, apparet; sed illum metaphoricè *Dei Patris* perfectissimam, substantialem et expressam imaginem, prototypum per omnia accuratissime referentem appellari posse, imo nostro in loco, debere, qui dubitabit arbitramur esse neminem. Neque etiam argumenta, dubitanti quae opponi possint, deesse nobis fatis ardua putamus. Prouocamus ante omnia ad Col. I, 15. ipsissimis ubi sententia nostra verbis confirmatur: Apostolus ita loquitur: ὁς, (est ipsi autem de *Christo* sermo) ἐστὶν εἰκὼν τῷ Θεῷ τῷ ἀρχαίῳ, πρωτότοκος πάσης κτίσεως, qui est imago *Dei* inuisibilis, primogenitus omnis creaturae, nec non ad 2. Cor. IV, 4. Ἐν οἷς ὁ Θεὸς τῷ αἰῶνος τέττε ἐτύφλωσε τὰ νοήματα τῶν ἀπίστων, εἰς τὸ μὴ ἀνυπόστασι αἰεὶς τὸν Φαλισμὸν τῷ εὐαγγελίῳ τῆς δόξης τῷ Χριστῷ, ὅς ἐστιν εἰκὼν τῷ Θεῷ. Dubio procul in his duobus locis εἰκὼν idem valet ac nostro in loco χαρακτὴρ. Quemadmodum

dum enim nummo aut sigillo imago proprie insculpitur; sic etiam *Deus Pater* suam imaginem licet improprie loquendo, in *filio* expressit. Clarissimus sane nobis IOHANNES C. VI, v. 27. testimonium exhibet: *ἐργάζεσθε, μὴ τὴν βρῶσιν τὴν ἀπολλυμένην, ἀλλὰ τὴν βρῶσιν τὴν μένουσαν εἰς ζωὴν αἰώνιον, ἣν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὑμῖν δώσει: τῶτον γὰρ ὁ πατὴρ ἐσφραγίσεν ὁ Θεός.* Quid quaesio aliud haec nobis indicet loquendi ratio? *τῶτον ἐσφραγίσεν ὁ Θεός:* quam hoc: *Deum in filio* suam expressisse imaginem. Supra iam vidimus PHILONEM idem vocabulum *σφραγίζεν* de impressione imaginis in sigillum usurpasse. Quidni haec locutio improprie de *Deo Patre* imaginem suam in filio exhibente, accipi poterit? Recte enim scribit IACOB ELSNERVS *) hunc enim *Pater Deus* signavit, i. e. sigillum et imaginem suam ei impressit, adeo ut qui *Christum* videret, etiam *Patrem* videret id quod ipse *Christus* de se testatur Io. XIV, 9. *ὁ ἑωρακὸς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα, καὶ πῶς αὐτὸν λέγει: Δεῖξον ἡμῖν τὸν πατέρα.* Quia nempe est *ⲙⲏⲓⲛ* *σφραγίς* Iehouae, uti *Deus Pater* per Hagg. loquitur de *Christo* C. II. v. 24. *καὶ θήσομαι σε ὡς σφραγίδα.* Eximium IULIANI locum supra omissum, hic inferere adhuc placet, quem nostrae inprimis inseruere sententiae, videmus **). *Ἐγὼ δὲ σε καὶ εἶδον ἥδη γεράμμοισι, καὶ τῆς ἱεραῖς σὲ ψυχῆς τὴν εἰκόνα καθάπερ ὀλίγη σφραγὶς μεγάλη χαρακτῆρος τύπον ἀνεμαζόμεν.* „At ego te et vidi iam in litteris, et sacrae tuae mentis imaginem tanquam paruo sigillo magni characteris effigiem mihi formaui. „ Non parum etiam sententiae nostrae lucis descriptio illa affundit, quam auctor libri sapientiae C. VII. v. 26. suppeditat, ubi fere iisdem verbis usus est: *ἀπαύγασμαι γὰρ, ἔτι Φωὸς αἰδῶ, καὶ ἐσοπλεον ἀκηλίδων τῆς τοῦ Θεοῦ ἐνεργείας, καὶ εἰκὼν τῆς ἀγά-*

*) in observationibus suis ad h. l. p. 312. T. I. Traiecti ad Rhenum 1720. suo editis.

**) in Opp. illius Epist. VIII. p. 377. per EZECH. SPANHEMIVM L. 1698. fol.

ἀγαθὸς ὁ αὐτὸς αὐτῶν, quae verba interprete SEBAST. SCHMIDIO ita fluunt: splendor enim est lucis aeternae et speculum immaculatum diuinae efficaciae, et imago bonitatis eius. Scopo dicentis hanc explicationem maxime conuenire facile demonstrare licet. Diuus Apostolus, vt supra §. I. monuimus, sibi proposuit Deitatem filii *Dei* sistere, et περὶ Θεοῦ mysterii de aeterna generatione vtraque denominatione tradere. ABRAHAMVS CALOVIUS, cuius verbis nobis vti licebit, rem ita exprimit: *) „vt enim effulgentiam lucis diuinae et splendorem gloriae Patris dixit ratione emanationis et processions filii a Patre, vt et repraesentationis gloriae Patris in filio: ita et characterem hypostaseos dicit cum ratione originis, quod filius sit a Patre expressa imago per aeternam generationem, tum ratione repraesentationis, quod filius repraesentet hypostasin Patris non secus atque imago repraesentat archetypum. „ Si demum autoritatibus nostram sententiam corroborare vellemus, possemus adhuc prouocare ad versionem Syriacam, vbi *ܘܥܘܪܝܢܘܨ* per vocem *ܘܥܘܪܝܢܘܨ*, transfertur, quae idem est atque imago. Possemus allegare effata Patrum, v. g. ex antea adductis GREGORII NAZIANZENI, BASILII, et CYRILLI ALEXANDRINI. Possemus in subsidium vocare ex recentioribus BROCHMANNVM. **) NEMETHVM. ***) IO. GERHARDVM, ****) sententiae nostrae inprimis fauentem,

*) Sunt haec verba ABRAHAMI CALOVI in Bibl. illustr. ad h. l. p. 1124. T. II. L. 1719. fol.

**) CASP. ERASMI BROCHMANNI Comm. Epist. Ebr. Hafniae 1706. 4.

***) SAMVELIS SZATTMARI NEMETHI S. Pauli Epist. ad Ebraeos explicata. Franequerae 1702. 4.

****) IO. GERHARDVS ita scribit: Nomen *ܘܥܘܪܝܢܘܨ* significat formam ex alio expressam, seu notam rei cuiusdam impressam. h. l. notat imaginem non euanescentem, qualis est imago hominis in speculo, sed expressam, substantialem, permanentem, sub-

uentem, ERASMV M *) et alios, sed non placet aliorum serinia ulterius compilare cum ipsa veritas in aprico sit posita. Probauimus enim, quod *χαρακτήρ* apud auctores Graecos denotet imaginem; demonstrauimus ex aliis Scripturae S. locis, quod *Christus* dicatur *εἰκών τῆ Θεῶ*, h. e. *imago Dei*; extra dubium posuimus tandem quod haec significatio cum scopo scribentis conueniat, adeoque firmam nostram stare sententiam, quod *χαρακτήρ* in loco nostro signet imaginem, nobis persuademus. Quarenti tandem cur Apostolus *Christum, filium Dei, χαρακτήρα* vocauerit, respondemus; Apostolum demonstrare velle *Christum* esse verum Deum, qui Patri suo non solum *ὁμοίσιος*, h. e. similis essentia sit, sed etiam *ὁμοούσιος*, h. e. qui eandem habeat cum Patre essentiam, et qui vno verbo *μορφὴν τῆ Θεῶ* habeat Phil. II, 7. Sed haec de vocis *χαρακτήρ* significatione sufficiant.

§. VII.

Ad vocem *ὑπόστασις* nunc pedem promouemus. *Ἐτυμολογείται δὲ ὑπόστασις*, inquit SVIDAS, *) *παρὰ τὸ ὑφισταίναι, καὶ ὑπάρχειν*, neque male, vti nobis videtur. Ad determinandam vero huius vocis *ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων significationem*, eadem via qua supra in eruenda vocis *χαρακτήρ* significatione vsi sumus, incedere iuuat. Euoluemus itaque primo rursus loco exterorum scripta, adde-
mus iisdem LXX INTERPRETV M translationem veteris Testamenti, considerabimus Patrum, post hanc, volumina, quibus tandem Noui Foederis oracula subiiciemus.

C 3

§. VIII.

subsistentem, vnde additur *χαρακτήρ τῆς ὑπόστασις*. Comment. supra Epist. ad Ebraeos ad h. l. L. 1715. 4.

*) ERASMV S in Commentario adhibet imaginis sigilli similitudinem quae eidem impressa, archetypon exprimit. p. 383. Edit. Lugd. Bat. 1705.

**) T. III. p. 559. Edit. KVSTERI sub voce *ὑπόστασις*.

§. VIII.

Primo itaque inter exteros **ARISTOTELEM** nominamus, hic enim primum voce *ὑποστάσεως* vsus videtur, et de eiusmodi quidem ente, quod reuera existit, verba illius haec sunt: *) *συμβιβάζον δὲ τῶν ἐν αἰθέρι φαντασμάτων τὰ μὲν τὰ κατ' ἔμφασιν τὰ τὲ κατ' ὑπόστασιν.* „Ad summam rerum, quae in aëre apparent alia specie tenus existunt, alia etiam habent naturae substantiam. „ **ARISTOTELEM** excipit **THEOPHRASTVS**, **) qui adhibet hanc vocem de loco vbi subsistit aliquid, hinc *ποιεῖσθαι δὲ*, inquit, *καὶ πρὸς τόπον τῶς ὑποστάσεως.* „Plantandae sunt arbores pro loci ratione. „ Per metaphoram hanc vocem vsurpauit **POLYBIVS** duobus in locis de constantia, robore animi, fiducia certissima, aut animi perseverantia. *Οἱ δὲ Βόδοι, ***)* αἰτ' *θεωρῶντες τὴν τῶν Βυζαντίων ὑπόστασιν, πραγματικῶς διανοήθησαν πρὸς τὸ καθεύεσθαι τῆς προδέσεως.* „At Rhodiū vbi „constantem hanc fiduciam Byzantium cernunt, solenter rationem excogitarunt perficiendi quod optabant. „ Altero loco de constantia et audacia **HORATII COCLITIS** hostium vim Sustinentis, haec habet verba: †) *ἔχ' ἔτα τὴν δύναμιν, ὡς τὴν ὑπόστασιν αὐτῆ καὶ τόλμην καταπεπληγμένων τῶν ὑπεναντίων,* „quos non adeo vis Coclitis vt praesentia animi constantiaque et audacia admiratione deficiat. „ Neque **DIODORVS SICVLVS** nobis suo deest testimonio, cui *ὑπόστασις* denotat fundamentum. ††) *Καὶ τοῖς ἐπὶ τὸς ἐν ἀλόγως ἂν συγκρίνοιο κατὰ τὸ μέγεθος τῆς ὑποστάσεως,* „ etiam externis non male comparatur propter fundamenti magnitudinem. De re solida, stabili, et substi-

*) in Libro de Mundo T. I. L. IV. p. 854. Edit. cit.

**) In Historia Plantarum L. II. c. 7. p. 88. Edit. 10. BODAEI a STAPEL, Amstd. 1644. fol.

***) L. IV. c. 50. p. 316. Edit. WECHEL. 1609. fol.

†) L. VI. C. 53. p. 497.

††) L. XII. p. 203. Editionis iam allegatae.

subsistente hanc vocem porro inuenies adhibitam,*) apud STRABONEM, τὴν δὲ συρτὴν βῶλον τὴν ἀργυρεῖτην Φησὶ κόπτεσθαι καὶ κοσμήναις εἰς ὕδωρ διαρτᾶσθαι. κόπτεσθαι δὲ πάλιν τὰς ὑπόσασις, καὶ πάλιν διηθεμέναις ἀποχεομένων τῶν ὑδάτων κόπτεσθαι τὴν δὲ πέμπτην ὑπόσασις χρονευθεῖσαν ἀποχρυσέντος τῆς μολύβδου, καθαρὸν τὸ ἀργύριον ἐξάγειν. „Glebam autem, quae omnibus deuehitur argentariam contundi, et aliquoties id repeti: quod quinto subsedit id liquari: itaque plumbo defuso, purum argentum produci. „ Apud AELIANVM, (vt SVIDAS testatur**) pro ἀντίσασις ponitur ὑπόσασις. Τὸ ἀρὰ δὲ, inquit, ὑπόσασις ἢ ἀντίσασις. Φησὶ γὰρ ἀπέστη τὸ ἔθνος τὸ Σύρων, καὶ Φοινίκων τὴν γένεσιν, προτέλαβεν εἰς τὴν αὐτὴν ἐρημίαν τε καὶ ὑπόσασις. „ Apud Aelianum autem ὑπόσασις ponitur pro ἀντίσασις, i. e. oppositio vel resistentia, vt sic loqui liceat. Ait enim: Defecit Syrorum gens, et vicinos Phoenices eiusdem rebellionis socios sibi adiunxit. „ Ne autem nimis profanorum cumulare autorum videamur sententias, ad THEMISTIVM saltem adhuc, cui ὑπόσασις idem ac fundamentum est prouocamus, sic vero scribit: σοὶ γὰρ δὴ μόνω τὸ πέρας τῆς ἐν ἀνθρώποις τιμῆς ἀπάσης ἀρχὴ γίνεται καὶ ὑπόσασις. „ Hoc enim, quod humanarum omnium fastigium est, vni tibi initium et quasi fundamentum est. „

§. IX.

Illorum itaque, quos citauimus, auctorum autoritate ὑπόσασις sequentibus gaudet significationibus. Inuoluit nimirum 1) existentiam veram, 2) locum ubi aliquid subsistit, 3) constantiam animi, 4) fundamentum, 5) rem stabilem et subsistentem, 6) resistentiam. Licet verò significationes allegatae multum inter se differant, ad vnā tamen omnes subsistendi notionem in se includere, apparet, id quod aliis quamplurimis adhuc comprobari possit exemplis,

*) L. III.

**) l. c. T. III. p. 559.

plis, sed praecipua dedisse sufficiat. Antequam vero ex promissis LXX de vocabulo ὑπόστασις INTERPRETVM sententias adicimus, illud quod alii saepius, sed forsitan satis inique, et infeliciter filere solent, celare nolumus, in eruendis ὑπόστασις significationibus ex autoribus profanis, suppetias nobis tulisse IAC. ELSNERVM, et IO. CONRAD. SCHWARZIVM, alterum in obseruationibus suis S. iam citatis, alterum vero in elegantissimis Commentariis Criticis Linguae Graecae N. T. L. 1736. 8. editis. Fontes tamen ipsos vbiuis inspicere, nulli omisimus.

§. X.

Pari nunc cum cura significationes vocis ὑπόστασις, quas apud LXX INTERPRETES habet, sistere, aggredimur. Teste ABRAHAMO TROMMIO *) VOX ὑπόστασις in hac versione Codicis Veteris Testamenti, et quidem in libris, quos Canonicos dicimus, octies et decies, in apocryphis vero semel occurrit. Sed acutissimos TROMMII oculos effugit locus Iud. VI, 4. Tam varia vero, tamque diuersa hi interpretes vocabulo ὑπόστασις, ratione vtuntur, vt difficillimum sit veram et genuinam eiusdem semper cognoscere significationem. Sed diuersissimas hasce significationes, satis feliciter, satisque recte, ad quatuor generaliores, vt loqui amant notiones, reduxit MATTHIAS MARTINVS, **) ex eruditissima enim huius viri sententia significat ὑπόστασις I) actionem siue potentiam τὸ ὑφιστάμενον, eius quod subsistere facit. II) passionem eius quod ὑφίσταται, supponitur, subsistit. III) ipsum quod sustentat. IV) quod subsistit, ὑπόστημα. Faciamus igitur periculum vtrum illae, quae ab LXX INTERPRETIBVS suppeditantur ὑπόστασις significationes, ad has quas diximus quatuor notiones, componi possint. Significat nempe ὑπόστασις apud LXX INTERPRETES I) id quod

*) In Concordantiis Graecis Versionis LXX. INTERPRETVM, Amstd. 1718. fol. T. II. p. 615. sub voce ὑπόστασις.

**) In Lexico Philolog. Edit. IO. CLERICI Amstd. 1701. fol. T. I. p. 590. sub voce hypostasis.

quod sustentat, scilicet vitam Iud. VI, 4. ὑπόστασις ζωῆς, pro hebraeo מַחֲיָה victus, sustentatio vitae i Sam. XIII, 21. *) ὑπόστασις ἢ αὐτή ad stabiliendum pro צַחֲלֵה et quod sustentatur scilicet vita. Pf. LXXXIX, 47. Μὴ σθητι τίς ἢ ὑπόστασις με. pro חַלְחֵל aeuum, tempus. et Pf. XXXIX, 5. καὶ ἢ ὑπόστασις με ὡς εἰ ἐθὲν ἐνώπιόν σου. 2) spes quae scilicet nos sustentat, vt subsistamus, ne rebus aduersis succumbamus. Pf. XXXIX, 7. ἢ ὑπόστασις με παρὰ σοὶ εἰμι. in hebraeo Codice est חַלְחֵל חַלְחֵל, quam vocem aliis in locis vel per κούχημα Prou. XI, 7. vel per ἐλπίς Thren. III, 18. vel per ἀρχή Iob. XL, 27. transtulerunt. Occurrit vero ὑπόστασις etiam Ezech. XIX, 5. et Ruth. I, 12. vbi idem ac spes valet, textus vero hebraicus habet חַכְמָה nec non Sapientiae XVI, 21. ἢ μὲν γὰρ ἢ ὑπόστασις σε τὴν σὴν γλυκύτητα πρὸς τέκνω ἐνεφάνισε. 3) Aliquid subsistens, vt corpus Iob. XXII, 20. εἰ μὴ ἢ φανεώσθῃ ἢ ὑπόστασις αὐτῶν pro עֵרָב. Psal. CXXXIX, 15. καὶ ἢ ὑπόστασις με ἐν τοῖς κατωτάτοις τῆς γῆς pro חַמְרָה. GROTIUS quidem putar, LXX INTERPRETES legisse חַמְרָה hinc ὑπόστασις pro corpore aut substantia corporis posuisse. Sed vnde probabit GROTIUS quod ita legerint, substantia certe tanquam notio generalis etiam de חַמְרָה dici potest. **) Ezech. XXVI, II. καὶ τὴν ὑπόστασιν τῆς ἰσχύος σου ἐπὶ τὴν γῆν κατὰ ζεῖρον ἢ ἢ חַמְרָה. 4) locum vbi aliquid subsistit Pf. LXIX, 2. ἐνεπαύην εἰς ἰλὺν Βουθῆ, καὶ ἐν ἔσῃ ὑπόστασις, pro חַמְרָה. 5) quod in loco subsistit e. g. milites stationarii in statione i Sam. XIII, 23. καὶ ἐξῆλθεν ἐξ ὑπόστασεως τῶν ἀλλαφύλων pro צַחֲמֵ et C. XIV, 4. διαβῆναι εἰς τὴν ὑπόστασιν τῶν ἀλλαφύλων. pro eadem voce hebraea. Nah. II, 7. καὶ ἢ ὑπόστασις ὑπεκαλύφθη pro צַחֲמֵ, hic certe locus crucem figit interpretibus, neque nunc

*) Observare debemus, quod TROMMIVS sequatur codicem hebraicum, hinc locum hunc i. Reg. XIII, 21. extare affirmat. Neque praetereundum est, quod locus Psalmorum plane alia ratione ac in Codice Hebraeo, et nostris in Versionibus inuenies, allegauerit. e. g. TROMMIVS citat. Pf. XXXVIII, 7. qui vero locus extat Pf. XXXIX, 8. Psal. CXXXVIII, 14. qui extat CXXXIX, 15.

**) Vid. ABRAHAMI CALOVII Bibl. illustr. T. I. ad h. l. p. 1120.

D

nobis licet ipsi inhaerere, id tamen extra dubitationis aleam positum putamus, et hunc notionem subsistendi inuoluere. 6) fundamentum alicuius rei e.g. consilium operis Ier. XXIII, 22. καὶ εἰ ἐσησαν ἐν τῇ ὑπόστασει μὲ, καὶ εἰ ἠέκασαν τῶν λόγων μὲ pro ריב. 7) quod quis sustinet, onus Deut. I, 12. πᾶς δυνήσομαι μόνος φέρειν καὶ τὴν ὑπόστασιν ὑμῶν, pro נשׂוּב. 8) quo quis se sustinet mercibus Ier. X, 17. συνήγαγεν ἐξ ἁθῆν τὴν ὑπόστασιν σε pro חַבְנֵי. 9) formam aut figuram teste MARTINO, sed minus accurate, potius aditum, aut ingressum. Ezech. XLIII, II. καὶ διαγράψεις τὸν ὄμιον, καὶ τὰς ἐξόδους αὐτῆ, καὶ τὴν ὑπόστασιν αὐτῆ pro נשׂוּב. Et haec sunt, quae apud LXX INTERPRETES reperiuntur τῆς ὑποστάσεως significationes. Ad quamlibet illorum nonnulla potuissent moneri, sed, nisi etiam instituti nostri id prohiberet ratio, certe nos tempus ac spatium prius deficeret, quam fusius hic differendi materia. Interim haec notari putamus ad I. notionem generaliorem commode referri posse loca, quae habentur sub No. 4. et 8. ad II. quae habentur sub No. 5. 7. 9. ad III. quae occurrunt No. 1. 2. 6. et tandem ad IV. quae citantur No. 3. Adeoque iisdem examinandis ulterius haud adhaerebimus, sed Lectorem Beneuolum ad quatuor has notiones generatiles ablegamus.

§. XI.

Euolutis itaque notionibus vocis ὑποστάσεως apud LXX INTERPRETES obuiis, Patrum de illa sententiae essent subiiciendae, propter arctissimum vero quod cum nostri oraculi explicatione habent vinculum, illis significationes in *Nouo Testamento* occurrentes praemittimus. Quinquies autem UT ERASMVS SCHMIDIVS*) obseruauit in *Nouo Foederis* codice occurrit, ibidemque triplicem inprimis admittit significationem. α) denotat ductu Lexicographorum fiduciam, confidentiam 2 Cor. IX, 4. ὑπόστασις τῆς καυχῆσεως, et Cap. XI, 7. ἐν ταύτῃ τῇ ὑπόστασει καυχῆσεως. β) fundamentum et substantiam e. g. rerum sperandarum Hebr. III, 14. τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως μέχρι τέλους βεβαίαν κατεσκόχουμεν. C. XI. v. 1. ἐστὶ δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις, γ) et nostro in loco

*) In Concordantijs N. T. L, 1717, fol. p. 634. sub voce ὑπόστασις.

loco substantiam, vel personam. Verum enim vero priores, quos tribuunt huic voci, significatus sub vna eademque latere notione, sub notione scilicet principii, fundamenti, vel fulcri, quo aliquid innititur, arbitramur. Commode enim dicere poteris haec vel illa res est *ὑπόστασις*, h. e. fundamentum gloriationis, aequè ac dicere potes fides est *ὑπόστασις* et fundamentum eorum, quae speranda sunt. Aliae notiones nobis praeter necessitatem videntur multiplicari. Quid vero de tertia significatione sentiendum, vberius paulo post explicabimus.

§. XII.

Patres vocem *ὑποστάσεως* non vno eodemque modo adhibuisse inter omnes constat, neque id Historiae Ecclesiasticae non penitus ignarum fugiet, grauiſſimas olim ob sententiarum diuersitatem de hac voce ortas esse lites, quae non nisi praecipua ea de re habita Synodo componi potuerunt. Admittebant enim nonnulli vnam tantum *ὑπόστασιν*, alii vero tres *ὑποστάσεις* statuebant. Testimoniis hoc quam plurimis possit probari, omnia vero adducere instituti ratio neque postulat, neque permittit, illorum vero tantum, praecipua quae nobis videntur, mentionem facturi sumus, et eorum sententias, I) qui vnam in Trinitate docuerunt *ὑπόστασιν* allegabimus. Sic vero docent PATRES CONCILII SARDICENSIS *) *μίαν ἑνὰν ὑπόστασιν ἢ αὐτοὶ οἱ αἰρετικοὶ εἶσαν προσαγορεύουσι, τὴν πατρὸς, καὶ τὴν υἱῆς, καὶ τὴν ἁγίου πνεύματος, καὶ εἰ ζήτοιεν τίς τῆς υἱῆς ὑπόστασις ἐστίν, ὁμολογῶμεν ὡς αὐτὴ ἦν ἡ μόνη τὴν πατρὸς ὁμολογούμενη.* „Vnam esse hypostasin, quam ipsi haeretici substantiam appellant, Patris, Filii, et Spiritus S. Et si quaerant quaeenam sit filii hypostasis, fatemur, eam esse, quam solam esse „Patris omnes agnoscunt. „ Et paucis interiectis pergunt: *μίαν ἑνὰν ὑπόστασιν τὴν πατρὸς καὶ τὴν υἱῆς, vnam esse hypostasin Patris et Filii.* Et porro: *ἡμεῖς πιστεύομεν, καὶ διαβεβαιώμεθα, καὶ ἔγω νοῶμεν, ὅτι ἡ ἱερά Φωνὴ ἐλάλησεν, ἐγὼ καὶ ὁ πατήρ ἐν ἑσμέν καὶ διὰ τὴν τῆς ὑποστάσεως ἐνότητά, ἥτις ἐστὶ μία τὴν πατρός*

D 2

πατρός

*) In Epistola Synodica quam apud THEODORETVM inuenies Hist. Eccles. L. II. C. VI. p. 595. T. III. Lutetiae Parisiorum 1642.

πατρός καὶ μίαν τῆ ὑπὸ. „Nos credimus, et affirmamus et intelligimus, diuinam hanc vocem, ego et Pater vnum sumus, „de vnitare hypostaficos, quae in Patre et filio vnica est. „ Et cum his ATHANASII verba plane conueniunt, quae ita fluunt: *μίαν λέγομεν ὑπόστασιν, ἡγόμενοι ταυτὸν εἶναι, εἰπέν ὑπόστασιν καὶ εἰσίαν.* *) „Vnam dicimus hypostasin, existimantes eadem esse dicere hypostasin et εἰσίαν. „ Eodem modo hoc vocabulo EPIPHANIVS et CYRILLVS vsi sunt, neque inter Latinos defuerunt Patres, parem qui sententiam cum illis proposuerunt, vti HIERONYMVS testatur. **) Inter illos, II.) qui tres docebant ὑποστάσεις, BASILIVS primum numerandus, qui verbis quae sequuntur, mentem declarat: ***) Ἐπεὶ ἐν τῷ μὲν κοινῷ ἐν τῇ ἁγίᾳ τριάδι, τὸ δὲ ἰδιάζον ὁ λόγος ἐνεθεώρησεν ὁ μὲν τῆς κοινότητος λόγος εἰς τὴν εἰσίαν ἀνάγεται, ἡ δὲ ὑπόστασις τὸ ἰδιάζον ἑκάστου σημεῖον ἐστίν· ἀλλ' ἵσως ἕταί τις μὴ συμβαίνειν τὸν ἀποδοθέντα λόγον, τῇ διανοίᾳ τῆς τῆ ἀποσύλης γραφῆς ἐν οἷς φησὶ περὶ τῆ κυρίας, ὅτι ἀπάντα τῆς δόξης αὐτῆ καὶ χαρακτηριστῆ τῆς ὑποστάσεως. Ἐι γὰρ ὑπόστασιν ἀποδοδύκαμεν εἰναί τὴν συνδρομὴν τῶν περὶ ἑκάστη ἰδιωμάτων ἀμειλόγηται δὲ ἄσπερ ἐπὶ τῆ πατρὸς εἰναί τι τὸ ἰδιάζοντος ἐπιθεωρούμενον, δι' ἑμῶνος ἐπιτηρώσεται, κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον, καὶ περὶ τῆ μονογενῆς τὸ ἴσον πισύεται, πῶς ἐν ταῦτα τὸ τῆς ὑποστάσεως ὄνομα, τῷ πατρὶ μόνῳ προσμαρτυρεῖ ἢ γραφῆ· τὸν δὲ υἱὸν μορφῆν λέγει τῆς ὑποστάσεως, εἰ ἐν ἰδίῳ, ἀλλ' ἐν τοῖς τῆ Πατρὸς γνωρίσμασι χαρακτηριστικῆς ζόμενος· εἰ γὰρ ὑπόστασις τὸ ἰδιάζον τῆς ἑκάστης ὑποστάσεως σημεῖον ἐστίν, τῆ δὲ πατρὸς ἰδίῳ τὸ ἀγέννητος εἰναί ἀμειλόγηται, μαρτυροῦνται δὲ υἱὸς τοῖς τῆ πατρὸς ἰδιώμασι, ἀρα διαμένει τῷ πατρὶ κατεξαιρέτων ἐπ' αὐτῆ μόνε τὸ ἀγέννητον λέγεσθαι. Ἐι περὶ τῶ ἰδιάζοντι τῆ πατρὸς καὶ ἢ τῆ μονογενῆς χαρακτηριστῆται ὑπό-

*) ATHANASIVS in Ep. ad ANTIOCH. T. I. P. II. p. 773. Edit. Parisi. Opera Monachorum Ordinis Benedictini an. 1698.

**) HIERONYMVS Ep. LVII. ad Damasum T. IV. P. II. p. 20. Edit. MARTIANAEN.

***) BASILIVS p. 299. Edit. FROB. opera Wolfgangi Musculi Basil. 1565.

ὑπάρχεις. ἀλλ' ἡμεῖς τὸτο φαμέν, ὅτι ἕτερον πληροῖ σιωπὸν ἐν-
 ταῖθα τῷ Δποστόλῳ ὁ λόγος, πρὸς ὃν βλέπων ταυταὺς ἐχρήσατο
 ταῖς Φωναῖς δόξην ἀπάντασμα λέγων, καὶ χαρακτηῖρα τῆς
 ὑπόστασεως. Ὅν περ ὁ ἀκριβῶς νεήσας εἰδὲν εὐρήσει τῖς παρ' ἡμῶν
 εἰρημένους μαχόμενον, ἀλλ' ἐπὶ τινος ἰδιαζέσεως ἐνοίας τὸν λόγον
 διεξαγομενον, ἃ γὰρ ὅπως διακρίθῃν ἀπ' ἀλλήλων ἀῦπτεσάσεις,
 διὰ τῶν ἐπιφαινομένων σημείων ὁ ἀποστολικὸς πραγματεύεται λό-
 γος. „Quoniam igitur partim commune quid in sacra Tri-
 „de, partim proprium quid doctrina sacra contemplata est:
 „quod ad communionem quidem attinet ad τὴν εἰσαν refer-
 „tur; ὑπόστασις vero proprium cuiusque signum est. Sed
 „opinabitur forsān quispiam redditam istam rationem non
 „conuenire cum intellectu ac mente Apostolicae Scriptu-
 „rae, quae de Domino inquit: Quoniam splendor est glo-
 „riae ipsius et character τῆς ὑποστάσεως. Si enim ὑπόστα-
 „σιν exposuimus, competentiam esse proprietatum, qua-
 „tenus singulis personis singulae conueniant. Confessum
 „vero est, quod quemadmodum in Patre quiddam est, quod
 „separatim in illo consideratur, per quod solus agnoscitur:
 „ad eundem modum et de vnigenito credatur: quomodo
 „hic τῆς ὑποστάσεως nomen soli Patri Scriptura adscribit: Fi-
 „lius vero formam esse dicit τῆς ὑποστάσεως, non in propriis,
 „sed in patris indicis ac notionibus designatum. Si enim
 „ὑποστάσεως propria cuiusque substantiae nota est: Patris au-
 „tem proprium esse liquet, quod ingenuus est: formatus
 „vero filius est per Patris proprietates: igitur quod Patri
 „peculiare est, videlicet ingenuum esse, soli remanet. Si-
 „quidem per propriam Patris notam vnigeniti quoque sub-
 „stantia designatur. Verum ad ista nos hoc dicimus, quod
 „hic sermo ad alium scopum ab Apostolo dirigatur, ad quem
 „intensus istis ille vocibus vsus est, cum gloriae splendorem
 „et ὑποστάσεως characterem Christum esse dixit: quem qui-
 „dem si diligenter quis cognouerit, nihil illum is, quae a
 „nobis dicta sunt repugnare, sed ad singularem ac separa-
 „tum quendam intellectum attemperatum esse Apostoli ser-
 „monem deprehendet., Addamus adhuc verba THEODO-
 D 3 RETI

RETI*). ὡς περ τὸ (ἄνθρωπος) ὄνομα κοινὸν ἐστὶ ταύτης τῆς φύσεως
 ὄνομα, ἔτα τὴν θεϊκὴν ἔσιν τὴν ἁγίαν τριάδα σημαίνει εἰδήφα-
 μεν. τὴν δὲ γε ὑπόστασιν προσώπου τινος εἶναι δηλωτικὴν οἷον ἢ τῆ
 πατρὸς, ἢ τῆ ἁγίης πνεύματος. Τὴν γὰρ ὑπόστασιν καὶ τὸ προσώ-
 πον καὶ τὴν ιδιότητα ταύτων σημαίνει φημὲν τοῖς τῶν ἁγίων πατέ-
 ρων ὁμοῖς ἀκολουθητέες. „Sicut nomen, homo, commune est
 „toti huic naturae: ita diuinae substantiae nomen sanctam
 „Trinitatem significare accepimus: hypostasim vero perso-
 „nam aliquam designare, nempe vel Patris, vel Filii, vel Spi-
 „ritus Sancti. Nam hypostasim et personam, et proprie-
 „tatem, idem significare docemus, sanctorum Patrum do-
 „ctrinam sequentes. „ CYRILLVS **) hanc mouet quaes-
 „tionem πῶς αὖτε ὑποστάσεις ἐπὶ τῆς θεότητος ὁμολογεῖς; „quot
 personas in diuinitate profiteris? statimque respondet, τρεῖς;
 πατέρα, υἱόν, καὶ ἅγιον πνεῦμα. Plura hic facili negotio dare
 potuissimus, nisi et religioni nobis duceremus lectoris abu-
 ti patientia, et nos ipsi nisi persuasi simus lites olim inter
 orthodoxos etiam Patres de hoc vocabulo commotas sa-
 tis ex his, quae dicta sunt, posse cognosci. Neque hoc il-
 lum, qui recte dicta pensauerit, latere amplius poterit,
 omnibus hisce litigiis superfedere eisdem potuisse, rite si
 animi cogitata expressissent, cautiusque circumscripsissent.
 Controuersiam quidem illam acerbius olim agitaram, no-
 stram nunc facere nolumus, interim paucis eam componi
 posse, si quid nostri est iudicii, putamus. Omnis ad voca-
 bulum ὑπόστασις, res redit, hanc vocem cum vocabulo ἔσιν
 plane confuderunt, hinc μίαν, hinc τρεῖς ὑποστάσεις docue-
 runt. Hinc alii, quibus ὑπόστασις idem fuit ac ἔσιν essentia,
 unicam ὑπόστασιν concesserunt, alii vero, quibus ὑπόστασις et
 πρόσωπον fuerunt Synonyma, tres ὑποστάσεις affirmare, haud
 dubitarunt. Postquam vero ipsi viderunt voces ὑπόστασιν καὶ
 πρόσωπον, minime vero ἔσιν esse ἰσοδυναμέσας acquieue-
 runt. Et sic rectius quidem factum affirmamus, quare GRE-

G R O R I

*) Dialogi. T. IV. p. 5. et 6. Edit. iam cit.

**) CYRILLVS in Expos. orthodox. fidei Edit. cit.

GORII NAZIANZENI testimonium *) adhuc tantummodo addere placet: Θεὸς δὲ ὅταν εἴπω, ἐν Φαλί περιτράφθη καὶ τρισί. Τρισὶ μὲν, κατὰ τὰς ιδιότητας ἦγεν ὑπόστασις εἰ τιμὴ Φίλων καλεῖν, εἴτε πρόσωπα (εὐδὲν γὰρ περὶ τῶν ὀνομάτων ζυγομαχῆσομεν, ἕως ἂν πρὸς τὴν αὐτὴν ἔνοιαν εἰ συλλαβὰ φέρωσιν) ἐνὶ δὲ, καὶ κατὰ τὸν τῆς ἑσίας λόγον, εἴτ' ἐν θεότητος. „Deum portor cum dico, vno eodemque triplici lumine perfringamini: triplici quidem, quantum ad proprietates, siue hypothesises, si cui haec vox magis arridet, siue personas (neque enim de vocabulis diffidebimus, quamdiu syllabae ad eandem sententiam ferent,) vno autem quantum ad essentiae, hoc est diuinitatis rationem.,

§. XIII.

Parata itaque via, inoffenso nunc pede in oraculi nostri explicatione progredi nobis licebit. Ex supra iam adductis, SVIDAM minus ita scribentem errasse, luculenter patet: **) ὑπόστασις κρείως τὸ κατ' εὐαλοῦ ἰδιοσημασίας ὑφιστάμενον. Ἔστιν ἐν πράγματι ὑφιστάσις τε, καὶ ἐσιώδες, ἐν ᾧ τὸ τῶν συμβεβηκότων ἀδρόσιμα, ὡς ἐν ἐνὶ ὑποκειμένῳ πράγματι, καὶ ἐνεργείᾳ ὑφίστηκεν. „Proprie hypostasis vocatur id, quod per se subsistit. Est igitur res et subsistens, et essentialis, in qua congeries accidentium tanquam in vno subiecto, re, et actu subsistit. „ His verbis auctorum testimonia citata minus videntur contrariari; neque vsus apud LXX. INTERPRETES obuius, iisdem repugnat. Hoc tamen fateri debemus ὑπόστασις vocabulum eo sensu, quo nostro in loco adhibetur apud autores profanos non occurrere, saepius vero apud *Patres*. Satis vero cum constet, quanta mala olim ex verborum quadam incuria fuerint orta, cautius omnino nobis in illorum explicandis sententiis incedendum, et ante omnia rite inquirendum, vtrum ipsis ὑπόστασις idem ac ἑσία, an vero ὑπόστασις ac πρόσωπον vnum idemque. Latini διὰ

ἐνε-

*) Oracione XXXIX. p. 630.

**) T. III. p. 559. Edit. cit.

ζενότηλα τῆς παρ' αὐτοῖς γλώττης καὶ ὀνομάτων πενίαν *) com-
 modo vocabulo defuituti et ἑσῖαν et ὑπόστασιν per vnam ean-
 demque vocem, scilicet substantiam transfulerunt, sed mi-
 nus sane recte. Οὐσία enim significat duce MARTINO CHE-
 MNITIO **) naturam, quae multis indiuiduis communis
 est, et totam essentialē proprietatem singulorum conti-
 net, ὑπόστασις vero est substantia singularis seu indiuidua,
 quae constat natura communi, et praeterea a caeteris omni-
 bus eiusdem naturae singularibus seu indiuiduis, certis qui-
 busdam proprietatibus, non quidem essentialibus sed per-
 sonalibus, seu characteristicis, sicut DAMASCENVS loquitur,
 seu ἀφορισμοῖς sicut IUSTINVS inquit, discreta in se et
 per se perfecta subsistit, ita vt nec pars sit alterius, nec in alio
 sustentetur. Et haec in genere. Nunc autem ad Deum
 Trinuum haec dicta applicata verbis SVICERI proponemus.
 ***) „Οὐσία quando de Deo vsurpatur, est id, quod li-
 „cet pluribus sit communicatum hypostasibus, quae in eo
 „tanquam toto quodam subsistunt, est tamen ipsum quoque
 „vel maxime vnicum ac singulare, neque de personis illis
 „dicitur, vt totum de partibus, cum sit ἀμερῆς, neque vt ge-
 „nus de speciebus, nam personae sunt indiuiduum non spe-
 „cies: neque vt species de indiuiduis, cum ipsa quoque
 „ἑσῖα vt dictum est vel maxime sit indiuiduum: ac propter
 „ea sic praedicandi modus nec ratione explicari potest,
 „cum sit admirabilis, nec exemplo declarari cum sit singu-
 „laris. Analogice tamen adumbrari potest, si dicamus dif-
 „ferre personam ab essentia tanquam angustius ab eo, quod
 „patet latius, ac proinde terminos hos non esse recipro-
 „cos., Et quid quaeso aliud pii nostri Confessores profi-
 „tentur? „Credendum esse scribunt ****) sine vlla dubitatio-
 „ne,

*) Sic iudicat GREGORIUS NAZIANZENSIS Orat. XXI. in laudem ATHANASII p. 395.

**) in elegantissimo libello de duab. natur. in Christo, L. 1600. 4. p. 38.

***) In Thesouro Eccl. T. II. p. 517. Edit. cit. sub voce ἑσῖα.

****) in Aug. Conf. de Deo p. 9. Edit. Adami Rechenbergii, L. 1705. 8.

ne, quod sit vna essentia, *εἰς* diuina, quae appellatur et
est Deus aeternus, incorporeus, impartibilis, immensa po-
tentia, sapientia, bonitate, creator et conseruator rerum
omnium visibilium et inuisibilium, et tamen tres sint per-
sonae (*ὑποστάσεις*) eiusdem essentiae et potentiae, et coae-
ternae, Pater, Filius, et Spiritus S. Et nomine Personae Pa-
tres Concilii Nicaeni vti, haud dubitarunt, ea quidem signi-
ficatione, qua in hac causa Scriptores Ecclesiastici illud ad-
hibuerunt, vt non partem, aut qualitatem, in alio, sed
quod proprie subsistit, significet. Nunc igitur verba Apo-
stoli nostri, quibus *Christum filium Dei* *χαρακτῆρα τῆς ὑποστά-
σεως αὐτῆς* vocat, ita cum SEBASTIANO SCHMIDIO trans-
ferenda putamus: „Filius Dei est imago expressa personae
illius, scilicet Dei Patris, et nequiquam illos, qui *ὑπόστασιν*
per Personam et substantiam exprimere solent, reprehен-
sione quadam dignos iudicamus.„ Quid enim est perso-
na? Est substantia prima, vt SVICERVS, loco saepius citato,
loquitur, intelligens, incommunicabilis, non pars alterius,
nec ab alio sustentata, et hac ratione admitti potest sub-
stantia. Nos tamen sequentibus permoti rationibus ele-
gimus personam. Quia *Christus* dicitur *χαρακτῆρ τῆς ὑπο-
στάσεως αὐτῆς* *χαρακτῆρ* vero imago, est nomen relatum et
praesupponit omnino correlatum vel fundamentum siue
archetypum cuius imaginem repraesentat et exprimit. *Ὁμοίαν*
essentiam *Dei Patris*, *Christus* in imagine repraesentare ne-
quit, quia eandem numero essentiam cum *Patre* et *Spiritu*
S. habet communem. *Πάντα* enim inquit *Christus* Io. XVI.
15. *ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ ἐμὰ ἐστίν*, et Io. X, 30. iterum pronunciat
Christus, *ἐγὼ, καὶ ὁ πατὴρ, ἓν ἐσμεν*, quam eandem sententiam
Filius Dei, et alias Theologi nostri, recte ex nominibus, at-
tributis, operibus, et cultu diuino adstruere solent. Ex
quibus euincitur: si *Christus* eandem cum *Patre* habet es-
sentiam, quomodo imago illius ratione essentiae dici po-
est? Imago cuiusdam rei, non est res ipsa. Necessario er-
go differentia quaedam inter illum, qui imagi-

E

nem

nem refert, et istum, cuius imago refertur. *Pater et Filius* non ratione essentiae, sed personae inter se differunt, hinc merito nostro in loco adhibendum erit vocabulum personae. Mirifice deinde nostram sententiam confirmat ipsum vocabulum ὑπόστασις; ὑπόστασις duce SVIDA, *) τὸ ἰδικὸν παρὰ τὸ κοινὸν est proprium, a communi distinctum. Κοινότης γὰρ ἐστὶν ἡ φύσις ἐκάστω πράγματι. Ἰδία δὲ εἰσὶν αἱ ὑποστάσεις, αἶον φύσις, τῆτ' ἐστὶ, εἶσα μία ἡ θεότης, γ' ὑποστάσεις, πατὴρ, υἱὸς, καὶ ἅγιον πνεῦμα, τρία πρόσωπα ἤγεν χαρακτηρισ, μία δὲ εἶσα, καὶ γένος. Commune enim est natura cuiusque rei, propriae vero sunt substantiae, ut quae naturae insunt, hoc est, Deitas est essentia vna, hypostases vero tres: *Pater, Filius, et Spiritus S.* Tres personae, id est characteres, vna vero natura et genus. Adeoque proprium personae patris est non generatum esse, *Filii* generatum esse a *Patre*, et *Spiritus S.* procedere. Hoc respectu putamus *Filium* a *Patre* distinctum esse et dici posse imaginem illius personae, non vero essentiae, quae est communis tribus personis. Haec doctrina tandem non noua, sed antiquissima, et iam pridem Patrum sententiis, confirmata, illi enim licet mox ὑποστάσεως, mox πρόσωπε vocabulum adhibuerint, libere tamen tandem haec vocabula nihil inter se differre, professi sunt, uti ex testimoniis supra allegatis videre licet. Et habemus omnino cur eorum testimoniis haud parum habeamus fidei, quo propiores enim adhuc fuerunt temporibus Apostolorum, **) eo aptiores omnino eosdem ad oracula N. T. rite exponenda fuisse, in dubium qui vocare velit, putamus esse neminem. Et sicut nobiscum conspirant antiquiores Theologi, ita nec suo recentiores nobis desunt con-

*) L. c. p. 560.

**) Pluribus hoc demonstravit SIGISMUNDVS BASCHIVS in peculiari Dissertatione de Interpretatione Noui Testamenti ex Patribus Apostolicis L. 1726. habita.

consensu e. g. SEB. SCHMIDIVS, *) ABRAHAMVS CALOVIVS, **) BALTHASAR MEISNERVS, ***) CHRISTIANVS SCHOETTGENIVS, †) IOANNES BRAVNIVS, ††) CONRADVS HORNIVS, †††) BROCHMANNVS, ††††) et alii. Ex quibus omnibus patet, ὑποσώσεως vocabulum nostro in loco merito per personam esse exponendum.

§. XIV.

Haec igitur sunt, quae ad explicationem vocum *καταρτησος* et *ὑποσώσεως* monenda nobis visa sunt. Non equidem nos latet, dari quosdam, qui praeter alia subsidia ad Textum N. T. graecum penitus enucleandum, praecipuum quoddam in collatione phrasium hebraearum quaerant, quia quamplurimae Noui Testamenti locutiones, apud profanos autores vel plane non, vel certe alio sensu occurrant, inter locutiones vero graecas Noui, atque V. T. hebraeas, plerumque similitudo quaedam deprehendatur. Neque et nos negamus, lectorem graeci codicis Foederis Noui, hebraeam linguam non ignorare posse. At enim vero, autoritas illorum, qui plane omnes phrasas graecas cum hebraeis conferendas, atque ex iisdem explicandas statuunt, nos ad assensum haud rapit, maxima enim eorum rationes

E 2

con-

*) in Commentario in Epist. ad Ebraeos ad h. l. p. 34. Edit. Lips. 1722. 4.

**) in Bibl. illustratis ad h. l.

***) in Philosophia sobria P. II. C. 2. Quaest. 3. p. 417. Wittebergae 1623. 8.

†) in Miscell. Lips. T. I. Obseru. XVI. p. 182.

††) in Comment. in Epist. ad Ebraeos ad h. l. p. 54. Amstd. 1705. 4.

†††) in Expositione literali Epist. ad Ebraeos ad h. l. p. 15. Brunsvigae 1675. 4.

††††) in Commentario ad h. l. Hafniae 1706.

concludendi adhuc indigere videntur probatione. Non satis prone fluit, in hac vel illa formula loquendi Noui Testamenti similitudo quaedam linguae hebraeae occurrit, hinc stilus Noui Testamenti ad istas Hebraeorum formulas est explicandus. Hoc posito principio, nihil plane nos impedit, quo minus eodem sane iure non solum ad linguam hebraeam sed etiam ad *Syriacam, Chaldaicam, Latinam, Gallicam*, et alias, Noui Testamenti stilum exigendum esse, affirmare possimus, quoniam, quod nullus negauerit, multae sanae in Nouo testamento dantur locutiones, quae cum linguis illis quandam habent similitudinem. Neque aliter fieri potest: sunt enim principia quaedam, quae vniuersalia dicuntur, omnibusque in linguis locum habent. Sed sic viris illis doctissimis aut concedendum, quod in explicando Noui Testamenti textu graeco, semper ad linguas, quas allegauimus recurrendum, quod tamen maxime incongruum putamus, quomodo enim phrasae graecae ex lingua gallica, vel latina, vel Italica, vel alia, rite explicari possint? licet forsitam aliquo modo illustrari, id quod tamen vel maxime caute, nisi aliorum excitare velis risum, agendum, aut concedendum principium illorum haud firmo satis niti fundamento. Ne vero haec omnia frustra dixisse, videamur, operam *viri* cuiusdam *Doctissimi*, quam etiam circa vocabulum *χαγαυρηες* ad genuinum eius sensum ex phrasibus hebraeis eruendum adhibuit, exempli loco repetere, nobis liceat. Coniungit *Vir Celeberrimus* *ἀπαύγασμος*, et *χαγαυρη* et binas adesse in lingua hebraea locutiones, quae graecis hisce a *Paulo* adductis exacte respondeant, affirmat. Quoniam vero prior cum voce *ἀπαύγασμος* vt ipse fatetur inprimis conuenit, hac misa facta, alteram tantum ex istis hebraeorum locutionibus, vtrique Paulinae, respondentem, allegamus. Est vero illa **קלסתר מני** qua quidem, vt *Viri Celeberrimi* verbis vtat, innuitur similitudo cum splendore coniuncta, ex vnius facie in alterius faciem deriuata. Hanc loquendi ratio-

rationem ter in TARGVM IOBI, vbi vultum simpliciter denotet, occurrere probat *Auctor Clarissimus*, neque etiam significationem illam *Talmudistis*, aliisque *Rabbimis* esse infrequentem, variis stabilire studet exemplis, sic enim pergit: in Codice *Bava mezia* fol. 87. i. narratur traditio, gentiles noluisse credere, quod *Abraham* et *Sara* aetate confecti, filium suscipere potuerint: *Abrahamum* vero vt fidem huic rei faceret, primores ipsorum ad conuiuium ablactationis, de quo Gen. XXI, 7, conuocasse. Tum quidem singulari quodam miraculo contigisse, vt ex vberibus *Sarae* lac profluxerit, פנים קלסתר פנים מוך נהפך קלסתר פנים של יצחק ונרמה לאברהם: exteriorque faciei formâ in *Isaaco* ita statim immutata fuerit, vt ipse *Abrahamo* similis apparuerit. Et rursus: *RASCHIVS* ad verba ipsa Gen. XIII, 8. vbi *Abrahamus* *Lothum*: ne sit contentio inter nos אנחנו אחים אנשים בני quoniam viri fratres nos sumus, מרריש אנרה, siue explicationem aliquam allegoricam adducit, quae sic habet: דומין קלסתר פנים similes sibi fuerunt quod ad externam faciei constitutionem spectat. Et denique eiusmodi מדרש אנכיר habetur etiam in *TALKVT* ad Gen. XXIV, 31. fol. 30. 4. vbi *Laban* *Elieserum* *Abrahami* feruum ideo tam honorifice inuitasse perhibetur: שהיה סבור שהיא אברהם שהיה קלסתר פנים פניו דומה לו: quia putauerat ipsum esse *Abrahamum*, quippe cui facie similis erat. Has locutiones omnes proprie de facie quadam hominis externa agere, apparet. Cum vero nostro in loco non de externa corporis *Christi* facie, nec fulgore illius externo, sed de imagine *Dei Patris*, quam in *Filio* expressit, sermo sit, aliis hunc concludendi modum locutio hebraea פנים קלסתר פנים denotat faciem externam, hinc vocabulum graecum *χαρακτήρ* imaginem denotat, diiudicandum relinquimus.

§. XV.

Habet vero et hoc nostrum dictum, cum reliquis quibus
E 3 diui-

diuinitas *Christi* adstruitur oraculis, commune, vt non solum iam olim prauissimis pessimorum hominum, vt *Arianorum*, *Samosatensiorum*, *Pelagianorum*, *Tritheitarum*, *Socinianorum*, et qui illis fauerunt, detorsionibus ac in versionibus fuerit contaminatum, sed et ex recentioribus dantur quamplurimi, qui sicut alia, S. Codicis oracula, ita et hoc inprimis inuertere, alium plane sensum eruere, et illam quam habet probandi autoritatem, ipsi denegare, haud sibi religioni ducunt. Cramben bis, et saepius coctam apponemus, si straminea veterum illorum veritatis coelestis hostium argumenta, a *viris doctissimis* iam dudum luculenter et solide explosa, depuo refellere conaremur. Mittimus itaque somnia haereticorum veterum, mittimus deliramenta LAELII, ET FAVSTI SOCINI, GEORGII ENIEDINI, IOAN. DE BYCOWICE, SCHLICHTINGII, aliorumque *Socini* adhaerentium. Neque etiam ex recentioribus IOAN. CALVINI, aut HYGON. GROTHII detestabiles sententias, quas tam peculiaribus libris, quam data quauis occasione *Celeberrimi Theologi* refutarunt, rursus sub examen vocabimus. Sed in praesenti inprimis ad illos nos conuertimus, quorum quidem errores satis iam cogniti, non tanta tamen ac priores opera explosi.

§. XVI.

Primus, qui nobis minus recte in explicatione nostri oraculi ex recentioribus versatus videtur, est celeberrimus inter Remonstrantes Theologos PHILIPPVS a LIMBORCH. Quid enim volunt illius verba, quae habet in Commentario suo ad h. l. *) Postquam (*Christus*) cruento suo sacrificio, nos a peccatorum reatu liberando, plenamque eorum remissionem peccatorum nostrorum purgationem perfecit, summam ac Deo proximam dignitatem,

*) Comment. in Epist. ad Ebraeos, Roterodami 1710. p. 540.

ratem, et in omnia imperium est adeptus, non aliter ac si Deo in excelsis coelis in throno maiestatis sedenti a dextris affideret. Sed quo modo quaeso verba haec cum illis quae statim priora sequuntur conueniunt? *Deus* hic vocatur substantia, *Christus* character, quia sicut forma ab archetypo impressa, ipsum nobis archetypum repraesentat, ita *Christus* nobis repraesentat *Deum*, ita vt *Christum* contemplantes in illo ipsum *Deum* Patrem contemplemur: quod et ipse testatur Io. XIV, 9. qui me videt, videt et *Patrem*. Nonne hic LIMBORCHIVS sibi aperte contradicit, eumque debitum, quem *Christo* honorem vna manu tribuit, altera quasi rapit? Quomodo haec quaeso inuicem possint conciliari, quicumque *Christum*, ille *Deum* ipsum contempletur; et qui eundem *Christum* videt non aeternum videt *Deum*, sed talem, qui post perfectum opus redemptionis summam, ac *Deo* proximam dignitatem, est adeptus. *Deum* esse, et non aeternum esse, neuiquam possunt esse simul vera. Facit adeoque LIMBORCHIVS aperte cum Photinianis, qui προϋπαρξιν *) siue praeexistentiam filii Dei ante conceptionem e *Spiritu S.* ac natiuitatem e *Maria* etiam clarissimis Scripturae locis reclamantibus, negare haud dubitant. Porro non minus aperta in his verbis latet contradictio, quando LIMBORCHIVS statuit, *Christum* post passionem dignitatem *Deo* proximam adeptum fuisse. Non audet contra luculentissima *Pauli* verba *Christus* est χαριστής της υποστάσεως τῆ πατρὸς, negare *Christum* esse *Deum*, sed quam inepte non veretur dicere, *Christum* accepisse proximam *Deo* dignitatem, cum tamen, illum, qui tantum haberet dignitatem *Deo* proximam, non posse esse *Deum* ipsum, vel imperitissimus possit cognoscere. Paucis:

*) Solidissime προϋπαρξιν *Christi* demonstratam inuenies in ABRAHAMI CALOVII demonstratione inuicta praeexistentiae filii Dei ante Marianae et ante mundanae. Witteb. 1654. 4.

cis : fatis luculenter infensissimum suum erga diuinitatem *Christi* animum his propositionibus LIMBORCHIVS dedit declaratum, cum veritatem diuinam licet eandem euertere haud posset, pessime tamen impugnare haud dubitauerit.

§. XVII.

Huic audacissimum IO. CLERICVM adiungemus, qui saepius, ita et hunc Scripturae S. locum detorquere, laborauit. In hoc vero nostro loco inuertendo, ita procedit : Loca PHILO NIS supra a nobis citata adducit, iisdemque cum album suum adiecerit calculum, ita pergit : *)
 „Cum igitur *ἐκμωγεῖον* sit idem ac character, *Φύσις* et *ὑπόστασις* etiam idem erunt. Ac sane filius Dei, etiam quatenus homo, est splendor gloriae patris, cum magnitudine miraculorum diuinam potentiam expresserit; et imago impressa eius substantiae, quia summas eius virtutes refert. De natura autem humana oportet loqui diuinum scriptorem, vt possent hebraei intelligere vera ab illo dici; hanc enim solam videre licet, nec imago aut splendor potest dici apud homines, quod ab iis nequam cernitur. Alia possent hanc in rem afferri, quae breuitatis causa omittimus. Mira certe concludendi ratio. Si CLERICO fides habenda nunc *Apostolus* in verbis huiusce nostris stoicam mentem prodit suam. Audiamus verba, quae paulo ante ad eundem locum profert. Multa huic scriptori communia esse, scribit, cum PHILONE ALEXANDRINO, obseruauit vir summus HVG. GROTIVS. Sequitur itaque et hic GROTIVM suum saepissime in litteras diuinas iniurium. Concedimus ipsi apud PHILONEM occurrere vocabulum *χαρακτήρ*, concedimus ibidem

*) In Notis ad Henr. Hammondi N. Test. ad h. l. Amstd. 1698. fol.

dem imaginem expressam significare, adeoque testimonia PHILONIS ad significationem vocis *χαρᾶν ἡσος* determinandam omnino valere, et hunc in finem illius verba supra allegauimus. Sententiae vero PHILONIS prorsus non subscribimus, sed eundem, loco citato, crassissimum STOICORVM errorem, quo animos hominum, partes ex essentia Dei decerptas, putabant, propagare, pronunciamus. Ex eodem fonte scribit MANILIUS L. IV. 891.

- - - - -
Noscere mundum

*Iam possunt homines, quibus est et mundus in ipsis,
Exemplumque Dei quisquis est in imagine parua.*

Et SENECAM luculenter hominem *Dei* partem vocare constat; *) quid est, inquit, cur non existimes in eo diuini aliquid existere, qui *Dei* pars est? EX ANTONINO, PLATONE, ET EPICTETO plura eiusmodi testimonia adducere possemus, si nugis hae chartam implere animus esset. **) Illud certo certius est et PHILONEM in absonam hanc iurasse sententiam. Cui vero vel somnianti in mentem venerit, ex his, quae apud PHILONEM habentur, et quae *Paulino* nostro in loco occurrunt, toto coelo a PHILONIS verbis differentibus, colligere quempiam velle, *Paulum* cum PHILONE multa habere communia. Probe scimus, quod homo a *Deo* creatus sit ad illius imaginem, sed nusquam illum diuinae essentiae particulam accepisse, asseritur. Absit ergo impia CLERICI opinio, qua *Apostolum* ex sententia STOICORVM loqui putat. Et inde etiam reliqua CLERICI somnia suam trahunt originem. Argumenta vero, quibus hic Philosophus, sententiam quod

F

Apo.

*) Ep. 92. 2. *τοῦτον τὸν κόσμον ὡς τὴν εἰκόνα τοῦ θεοῦ*

**) Adduxit hoc eruditissimus LYDÖV. CHRISTIANVS CRELLIVS in Dissert. cuius inscriptio τὰ τῆ ἐπιτηδῆς ὑπέροσοφα, καὶ ἀσοφα, Lipsi. 1716. §. 5. p. 7. sqq.

Apostolus loco in nostro de humana tantum *Christi* natura loquatur, leuissima mirari satis haud possumus. Oportet, inquit CLERICVS, scriptorem diuinum de natura *Christi* humana loco in nostro loqui, ratio, vt possent *Hebraei* intelligere vera ab illo dici, hanc enim solam videre licet, nec imago aut splendor potest dici apud homines, quod ab iis nequaquam cernitur. Egregia conclusio, quid iudicarent tirones; si pari ratione concludere vellem, virtutes non possunt videri E. de illis haud sermo instituendus. CLERICVS non amplius est in viuus, Ergo de illo nemo loqui potest. CLERICVS si verba, quae oraculum nostrum et antecedunt, et consequuntur, penitus cogitasset, *Apostolum* non de humana *Christi* natura loqui, dubio procul cognouisset, nam, num *Deus* per *Christum* ἑσαρκιον mundum condidit? competatne *Christo* tanquam filio hominis, Φέρον τὰ πάντα τῷ ἡματι τῆς δυνάμεως αὐτῆ. Fuitne *Christus* secundum humanam naturam imago *Patris* Coelestis? Eratne *Christus* cum *Paulus* has ad *Ebraeos* exararet literas visibili ratione inter homines, poteratne ab iisdem corporeis oculis conspici? et vt imago *Patris* cognosci? Adeoque et sententiam et argumenta CLERICI cadere, deprehendimus, interim his ipsis quorumnam castra sequatur, satis prodidit CLERICVS. Famosus enim ille *Socini* affecla PETRVS STATORIVS eandem nostri oraculi proposuit explicationem. Negauit *Christum* secundum Deitatem esse imaginem *Patris* sui, quia visibilis non sit, ideoque *Patrem* repraesentare nequeat. Sed refutauit has nugas CALOVIUS in *Bibl. illustr.* hinc otium nobis fecit.

§. XVIII.

Audiamus et tandem haud obscurum Saeculi nostri virum L. M. ARTEMONIVM siue SAM. CRELLIVM, qui etiam nouam dicti nostri explicationem excogitauit, qua vero nihil magis, quam *Christum* diuinitate sua exuere cogita-

gitarit. Verba eius ita se habent: *) „Vox ὑπόστασις in scriptis „N. T. (fortassis etiam apud LXX Interpp.) et in hac Epistola ad *Ebraeos* non sumitur scholastico aut philosophico sensu, sed de hominibus sumta, significat eorum in fide, de Deo autem sumta, eius in promissis praestandis, constantiam. „ Prouocat deinde ad Hebr. III, 14. et C. XI, 1. 1. Cor. IX, 4. producit etiam locum POLYBIJ de HORATIO COLITE, supra a nobis allegatum. Nos, vocabulum ὑπόστασις etiam constantiam seu perseuerantiam indicare vti supra, ita et nunc, concedimus, sed ὑπόστασιν de Deo sumtam constantiam in promissis praestandis denotare adhuc merito dubitamus. Quid, quod? cum CRELLIUS ipse nullis hanc suam excogitatam sententiam argumentis corroborauerit, et nos nullam aliam, cur ὑπόστασις vocabulum de Deo sumtam, ita accipiendum, causam deprehendamus, quam vt haberet CRELLIUS quo et ex oraculo nostro Diuinitatem *Christi* proscriberet, sententiam hanc tanquam impiissimam reiiicimus, nulli dubitantes, impiam quandam opinionem, nullisque argumentis munitam recensere, idem esse ac refutare.

§ XIX.

Prusquam finem nostro imponamus labori, et adhuc de vocabulo ἀντὶ monenda quaedam videntur. Non enim, quod sane mireris, defuerunt tam perversae rationis homines, qui illud ἀντὶ in verbis nostris: *ὁς ἐν ἀπαυγάσματι τῆς δόξης καὶ χαρῆς τῆς ὑπόστασις ἀντὶ* ad vocem ἀπαυγάσματος retulerint. Fecit illud ENIEDINVS *Socinianus* haud ignotus, verbaque Pauli ita fuit elocutus „*Christus*. est splendor gloriae et character substantiae illius splendoris. „ Sed primo nihilominus *Christo* diuinitas concedenda, nam gloria *Dei* et *Deus* sunt vnum idemque, si itaque *Christus* est ima-

*) vid. Initium Euang. *Iohannis* ex antiquitate Eccl. restitutum p. L. M. Artemonium 1726. p. 99.

imago substantiae gloriae diuinae, quid aliud erit quam ipse *Deus*. Porro Natura Pronominis Relatiui aliquid postulat, ad quod referatur, iam vero ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαράντης τῆς ὑποστάσεως sunt propositiones, quae per αὐτῆ ad aliud referuntur, ergo posterior non ad priorem potest referri. Tandem est regula Hermeneutica fati trita, quotiescunque *Deus* distinguitur a *Filio*, toties prima Deitatis persona intelligenda est, adeoque fati clare patet, vocabulum αὐτῆ ad τὸν πατέρα esse referendum.

§. XX.

Et haec sunt, L. B. quae de genuina vocum χαράντης καὶ ὑποστάσεως significatione earundemque varia per varios facta detorsione adducenda duximus. Gratum nobis erit futurum, si quaedam scripta sint, quibus calculum tuum adiicere haud dubites, neque vero et nos ingratos habebis, si errores, qui forsitan irreperunt, beneuole monere, nosque itaregere sustineas. Quod reliquum, Deum precamur, velit diuinam de Diuinitate *Christi* veritatem, et nostro in oraculo tam luculenter comprobata, in dies magis, magisque dare confirmatam, quo tandem et illi, qui adhuc infensores Diuinitatis *Christi* hostes sunt, eundem vt DOMINVM, DEVMque aeternum colere ac venerari commoueantur.

COROLLARIA.

I.

Recte illi de sensibus docere videntur, qui eosdem fallere negant.

II.

Gradus certitudinis in cognitione Physica non facile adsurgit ultra probabilitatem.


III.

Hinc metallorum generatio non nisi probabiliter potest demonstrari.

IV.

Omnis spes siue vera, siue falsa, cum voluptate quadam est coniuncta.

* * *



ED - Beg 2002

01 A 6739


Sb.

D.

Rehs ✓

40
M.





m. 2

DISSERTATIO PHILOLOGICA
DE
GENVINA VOCVM
ΧΑΡΑΚΤΗΡ ET ΥΠΟΣΤΑΣΙΣ
NOTIONE
AD ILLUSTRANDVM LOCVM
EBR. I. v. 3.

QVAM
INCLVTI PHILOSOPHORVM ORDINIS
AVCTORITATE ET PERMISSV
D. IV. NONARVM APRILIS A. R. S. MDCC XXXVIII.
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVBMITTET
M. CHRISTOPHORVS GOTTHELF
MOLLERVS
FREIBERGENSIS
RESPONDENTE
IOANNE GOTTLQB BVRGERO
NAVNDORFF. MISON.
S. S. THEOL. STUDIO SO

LIPSI AE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.